Doppiò.

9 XXXII 4

72480

SANDELLIUS


Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/depriscorumchris00sand

DE
CHRISTIANORUM
SYNAXIBUS.

D E

PRISCORUM CHRISTIANORUM SYNAXIBUS EXTRA ÆDES SACRAS COMMENTARIUS.



V E N E T I I S

M D C C L X X.

Excudebat Hieronymus Dorigonius

SUPERIORUM FACULTATE.

NOBILISSIMO VIRO

FRATRI ANNIBALI
EX COMITIBUS
MONTIS VETERIS

Comiti Montis Portii & Mirabelli, Equiti Hieroſolymitano, Commendatario Ss. Mariæ & Joannis Centumcellæ, ac Stephani Prothomartyris Panormi, Arcis Ferrarienſis Præfecto &c.

DIONYSIUS SANDELLIUS
F.

COmmentarium, in quo de Euchariſtia, Sacramento nimirum om-

*nium auguſtiſſimo, diſputatur, cultuſque exponitur & amor, quo illud priſci Chriſtiani ſunt proſequuti, dum etiam furente Ethnicorum rabie ſacras caſtaſque in ſynaxes coivere, non alteri quam inſignis virtutis, & pietatis Viro inſcribere vel tum conſtitueram, quum ad illum elaborandum vires primo animumque converti. Eo perfecto abſolutoque, nempe quantum pati viſa eſt mearum rerum conditio & ingenium, bonis mehercle fortunatiſque avibus mihi ea de re cogitanti ſe ſe obtulit virtus tua, V*IR *P*RÆSTANTISSIME, *cujus dignitate, ſplendore atque auctoritate is omnis commoveatur neceſſe eſt, qui magnarum rerum deſiderio capi aliquando ſoleat. Ego itaque, qui me in horum numero recenſeri haud illibenter fero, præclariſſime mecum fuiſ-*

ſe

ſe actum putavi quum Tibi hoc Opuſculum nuncupare ab ſingulari tua morum facilitate conceſſum eſt; videbam enim nominis tui amplitudine non vulgare patrocinium eidem conciliari, & adſcititio bujuſmodi decore & ornamento compenſari ea poſſe, quæ aut neglecta aut leviter dicta argumenti præſtantia atque dignitas ægerrime pertuliſſet. Et vero ea es Gente progenitus quæ cum viris belli paciſque artibus ornatiſſimis Fanenſem Civitatem plurimum illuſtravit, tum Regum ac Principum affinitate & amicitiis clariſſima jure ac merito inluſtres atque majores Italiæ Familias aut vicit, aut coæquavit. Atqui virtutibus tuis tantum decoris & ornamenti Familiæ juxta ac Patriæ comparaſti, ut jure ipſe reprehenderer ſi multa quum noverim a Te geſta prædi-

*nium auguſtiſſimo, diſputatur, cultuſque exponitur & amor, quo illud priſci Chriſtiani ſunt proſequuti, dum etiam furente Ethnicorum rabie ſacras caſtaſque in ſynaxes coivere, non alteri quam inſignis virtutis, & pietatis Viro inſcribere vel tum conſtitueram, quum ad illum elaborandum vires primo animumque converti. Eo perfecto abſolutoque, nempe quantum pati viſa eſt mearum rerum conditio & ingenium, bonis mehercle fortunatiſque avibus mihi ea de re cogitanti ſe ſe obtulit virtus tua, V*IR *P*RÆSTANTISSIME, *cujus dignitate, ſplendore atque auctoritate is omnis commoveatur neceſſe eſt, qui magnarum rerum deſiderio capi aliquando ſoleat. Ego itaque, qui me in horum numero recenſeri haud illibenter fero, præclariſſime mecum fuiſ-*

ſe

ſe actum putavi quum Tibi hoc Opuſculum nuncupare ab ſingulari tua morum facilitate conceſſum eſt; videbam enim nominis tui amplitudine non vulgare patrocinium eidem conciliari, & adſcititio hujuſmodi decore & ornamento compenſari ea poſſe, quæ aut neglecta aut leviter dicta argumenti præſtantia atque dignitas ægerrime pertuliſſet. Et vero ea es Gente progenitus quæ cum viris belli paciſque artibus ornatiſſimis Fanenſem Civitatem plurimum illuſtravit, tum Regum ac Principum affinitate & amicitiis clariſſima jure ac merito inluſtres atque majores Italiæ Familias aut vicit, aut coæquavit. Atqui virtutibus tuis tantum decoris & ornamenti Familiæ juxta ac Patriæ comparaſti, ut jure ipſe reprehenderer ſi multa quum noverim a Te geſta prædi-

cation e digniſſima optimeque ſciam Te Majorum laudes non æmulari tantum, ſed plane complecti, in illorum, quorum haud mendax Hiſtoria meminit, præclaris oſtendendis, laudandiſque imaginibus ac meritis immorarer. Quamquam non vindice, vix narratore opus habent, quæ a Te præclare ſunt geſta. Inter Melitenſes Equites adſcriptus eo ingenii animique robore, ac virtutum omnium ſocietate demandatis muneribus & officiis terra marique perfunctus es, ut non prius inde diſceſſeris, quam debitis virtuti tuæ cumulatus præmiis, ſummoſque ab Nobiliſſimi Ordinis Duce honores indeptus; qui quanti etiam poſtea ſolertiam, & diligentiam Tui fecerit ſæpe monſtravit; quum ſcilicet graviſſima negotia virtuti tuæ fortunatiſſime, felici nempe optatoque re-

rum

rum eventu, commendavit. Romam ingreſſus ita egregio illi Pontifici BENEDICTO XIII. ſummiſque in Urbe viris atque proceribus Te probaſti, ut famam ac nomen omnino creverit quod abſens excitaveras, & Lutetiam Pariſiorum inde conceſſeris cum Lante Præſule lectiſſimo, ac eximio inde purpurato, Galliarum Regi ob natum infantem nomine Pontificis gratulaturus. His atque aliis muneribus feliciſſime geſtis Senogallienſis Portus Præfectus, armorumque Urbis Gubernator delectus hanc totam Civitatem vicinaſque gentes vere beaſti; periculoſis præcipue infeſtiſque temporibus, quibus vigilantia tua ſummopere enituit, ne ſcilicet dira lues, quæ ſtrages miſeris vaſtiſque regionibus inferebat, Civitatis, Portuſque, cui ſummo amore, curaque præe-

ras,

ras , ac denique Urbinatium Provinciæ fines attingeret. Sed quum longa res foret , tum ſuperflua commemorare cetera , quæ ad populorum iſtorum maximam felicitatem præſtitiſti . In ore omnium ſenſuque manet illorum recordatio , & vehemens deſiderium Tui. Quod equidem Senogallienſium animis altius inſedit , quum graviſſimo BENEDICTI XIV. judicio Ferrarienſi Arci mira omnium prorſus Ordinum & Urbis gratulatione præfectus es . Quo in munere illuſtriora magni Ducis & Chriſtiani equitis edita a Te fuiſſe exempla probi ii quique jugiter ſuſpexere , qui ad virtutem , qua nulla res eſt amabilior , cognoſcendam diligendamque ingenio valent. Nullus profecto eſt hominum ordo , nulla conditio fortunæ , nullum diſcrimen na-

turæ, nulla ratio dignitatis quæ munificentiæ tuæ atque amoris partem ſibi non vindicet, nullus qui tuas laudes non extollat, & celebret. Hinc haud mirari ſoleo quum audio gratia Te ſemper plurimum apud Romanos Pontifices, ceteroſque Aulæ Proceres valuiſſe; florere amicitiis hominum præclariſſimorum; lætari denique, quod non ita multis contingit, de omnium amore militum poſſe. Ac licet jam ſis ætate longævus, & adflicta valetudine ſæpiſſime pertenteris, tanta tamen alacritate, animique magnitudine, præſentia, & vividiori mentis acie ſingula perſpicis, efficis, ac moderaris, ut hoc exemplo tuo perſpicuum ſit claram mentem ac generoſum animum ægritudinum & annorum ſerie nec labefactari ſemper, nec ſeneſcere. Vivas igitur diu, Vir No-

bilis-

biliſſime. Vivas Tibi, Chriſtianæ Reipublicæ, & huic Urbi. Hæc omnium bonorum vota ſunt & deſideria. Vivas denique mihi, qui ut huic Commentariolo Patronum quærerem, & tantæ virtuti tuæ ipſe etiam pro ingenio gratularer, illum ampliſſimo tuo nomine auſus ſum exornare.

Scribebam Venetiis Nonis Martii MDCCLXX.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Status ac conditio Chriſtianorum ſub Ethnicis Principibus & operis cauſſa exponitur. Pag. 1

CAPUT II.

Chriſtianorum cœtus atque Synaxes nocturnæ plerumque fuerunt. 7

CAPUT III.

Dominicis præcipue diebus frequentarunt Euchariſtiam, & aſſiduis ſynaxibus Pentecoſten celebrarunt. 15

CAPUT IV.

Rejecta Amalarii de Pulſatione lignorum & Baronii de Curſoribus ſententia, ſtatuitur probabilius Chriſtianos ab ethnicis vexatos, vel a Diaconis aut Diaconiſſis, aut denique ab Epiſcopis, Presbyteris, aliiſque modis admonitos ad Synaxes conveniſſe. 22

CAPUT V.

Quædam in annulis ſigna geſtarunt, quibus ſeſe Chriſtiani cognoſcere, ac etiam in cœtus cogere poterant. 30

CAPUT VI.

Apoſtolorum exemplo primo ſacras ſynaxes habuerunt in domibus privatis, ſelectis altioribus ædium cubiculis. 37

CAPUT VII.

Aliquot earum ædium in Eccleſias inde, Romæ præſertim converſæ ſunt. At ab his exturbati Chriſtiani alias privatas ædes, uti conditio, & opportunitas ferebant, pro ſumtione Euchariſtiæ delegerunt. 42

CAPUT VIII.

Qui divites inter illos erant, domos ſuas pro Synaxibus libenter concedebant. Ex his veterum Titulorum origo conjicitur. 53

CAPUT IX.

Chriſtianos veteres numeraſſe pecunias militibus, aliiſque miniſtris Præſidum Ethnicorum, ut Synaxes agere poſſent, ex Tertulliano demonſtratur. 60

CAPUT X.

De ſingulari odio Ethnicorum in Sacerdotes, deque horum cura, ne populi imminente perſecutione pane Euchariſtico deſtituerentur. 67

CAPUT XI.

Epiſcopi & Presbyteri conjecti in carceres Synaxes ſacras & Sacrificia haud ommiſerunt. 74

CAPUT XII.

Solemnes etiam in carceribus peregerunt Stationes, quæ Euchariſtia finiebantur. 81

CA-

CAPUT XIII.

Laici in vinculis propter Chriſti fidem conſtituti ſacram perceperunt Euchariſtiam, præſidentibus Synaxibus in carceribus habitis Sacerdotibus & Diaconis. 87

CAPUT XIV.

Mos Sacrificia in carceribus obeundi ſæviente perſequutione ex Africanæ Eccleſiæ diſciplina confirmatur. 96

CAPUT XV.

Ad Chriſtianos, qui haud poterant Synaxibus intereſſe, Euchariſtia mittebatur per Diaconos vel miniſterio Accolythorum. 103

CAPUT XVI.

Agebantur Synaxes in Cœmeteriis, & Cryptis Arenariis. 109

CAPUT XVII.

Ciampinii adverſa ſententia expenditur & refutatur. 120

CAPUT XVIII.

Chriſtiani a celebrandis Synaxibus prohibiti Domi habebant Euchariſtiam, quam tum temporis omnes lotis, nudiſque manibus recipiebant. 150

CAPUT XIX.

De Vaſculis ac Reconditoriis, quibus domi Euchariſtiam conſervarunt. 161

CAPUT XX.

Exponitur uſus Vitrearum Patenarum in cryptis. 171

CA-

CAPUT XXI.

De precibus ac ritibus domeſtica in Communione adhibitis. 179

CAPUT XXII.

De apparatu quo Heremicolæ percipiebant Euchariſtiam. 191

CAPUT XXIII.

Summus primorum Chriſtianorum amor, ac fiducia in Euchariſtiam fuit. 197

CAPUT ULTIMUM.

Quod etiam iidem, conſuetudine deferendi Euchariſtiam collo ſuſpenſam, plurimum confirmarunt. 203

ERRATA CORRIGE.

		ERRATA	CORRIGE
Pag. 39 lin.	2	ὑπερεῶν	ὑπερῶον
115	21	multitudinem	multitudine
186	4	domeſticam	domeſtica

DE

DE CHRISTIANORUM SYNAXIBUS

CAPUT I.

Status ac conditio Chriſtianorum ſub Ethnicis Principibus & operis cauſſa exponitur.

QUod olim Dionyſius Alexandrinorum antiſtes ſibi ſuiſque eveniſſe in epiſtola ad Hieracem ſcripſit (*a*); *cum ſoli* ſcilicet *ab omnibus fugaremur, nihilominus tunc quoque feſtos egimus dies. Quivis denique locus, in quo varias ærumnas ſigillatim pertulimus, ager, inquam, ſolitudo, navis, ſtabulum carcer, inſtar templi ad ſacros conventus peragendos fuit*: id adfirmare poſſumus ſæpiſſime Chriſtianis contigiſſe, qui Ethnicis ſub Imperatoribus vixere. Etſi enim Chriſtiani optime cognoſcerent univerſum orbem Tem-

(*a*) Apud Euſebium H. E. lib. VII. cap. XXII. pag. 304. Edit. Taur.

Templum Dei eſſe, qui nempe loca omnia majeſtate ſua, atque immenſitate replet, nullumque eſſe locum ipſi neceſſarium ad ſuſcipienda mortalium vota, facile tamen intelligebant ſacris ſolum in locis caſtas agi Synaxes oportere (*b*), niſi fata conditioque locorum ac temporum aliter perſuaſiſſent. Apoſtolos quidem privatas conſecraſſe domos indeque Chriſtianos, etiam ante Conſtantini Magni tempora, ædes exſtruxiſſe, in quibus Sacra peragerent & Synaxes celebrarent, clariſſima evincunt, quæ Bellarminus (*b*) Ciampinius (*c*) Georgius (*d*) Cardinalis Bona (*e*) ipſique heterodoxi Medus & Binghamus (*f*) monumenta protulere. Atqui nec ipſis Apoſtolis, nec ceteris Chriſtianis ſemper exſequi conceſſum fuit quæ in votis maxime habuere. Exturbati illi ſæpius ſunt cum livore & inſidiis Judæorum, tum Evangelii prædicandi cauſſa in varias terræ partes delati, in ædibus ſemper ad Sacrificium offerendum conſe-

(*a*) Baſilius de Baptiſm. c.8. Cyrillus Alexand. contra Antropomorphitas, & alii.
(*b*) lib. 3. de cultu Ss. cap. IV.
(*c*) T. I. Vet. moniment. c. 18.
(*d*) de Liturg. Rom. Pontif. lib. 1. c. 3.
(*e*) Rer. liturg. lib. 1. cap. 19.
(*f*) Orig. Eccleſiaſt. lib. VI.

ſecratis operari Sacris myſteriis potuiſſe dici non poteſt, ſiqua temporum, & eorum plerumque, quorum ad domos ventitabant, paupertatis ratio habeatur. Excitatæ demum poſt ipſorum necem in Chriſtianos ſæviſſimæ perſequutiones ſunt, quibus eis aliquando vix propriis in ædibus tuto conſiſtere poſſe negabatur. Atque hic Chriſtianorum ſtatus, vivendique modus trium ferme priorum ſæculorum ſpatio concludendus eſt; nam ceſſaverint licet interdum perſequutiones; nunquam tamen leges & edicta ceſſavere a Cicerone & Livio memorata, quibus ſcilicet peregrina quæcumque Religio vetabatur, quibuſque Senatus, Populique Romani conſenſu decretum erat, ut *Chriſtiani non eſſent* (*a*). Habuit hinc Eccleſia ſuos Martyres, ſane non paucos, ſub eorum etiam Imperio, qui nulla nova adverſus Chriſtianos edicta tulerunt, quique clementiæ, & virtutis laude dicuntur præſtitiſſe. Imo vero qui Tillemontium Fleurium, Ruinartium, Urſium aliosque acris judicii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tractatores legerit facile comperiet, proportione quadam ſervata, acerbiora Chriſtianos illis ſumma rerum porientibus pertuliſſe, qui ſcilicet gloriam recti feliciſque princi-

(*a*) Origenes Hom. XI. in Joſue.

cipatus affectantes, proſternere omnes eniterentur, qui majorum religioni contradicerent; cum e contra mali improbique principes quemadmodum effrœnem vivendi libertatem, & graſſari ſcelera impune permittebant; ita quid Chriſtiani agerent, minus quandoque ſolliciti videbantur. Licebat igitur Chriſtianis his temporum intervallis ſuis quoque legibus vivere, & ſuo quodammodo vitam traducere. Atqui ſive Optimorum ſive malorum Principum mores regendique imperii diſciplinam conſideres, timide ſemper, duro plerumque ſub jugo vixiſſe Chriſtianos intelliges. Qui enim placide in urbibus commorari, Sacros venerandæ religionis ritus exercere cœtuſque in ſacros coire poterant, quorum vexatio & perſequutio inter imperii laudes, & inluſtriores perſonarum faſtus ponebatur? Sane Svetonius ea inter, quæ aliqua digna laude ab Nerone ſancita geſtaque commemorat, hoc etiam refert, quod afflixerit: *Suppliciis Chriſtianos, genus hominum ſuperſtitionis novæ, ac maleficæ*. Ita de Chriſtianis Ethnici judicabant, qui fere omnes ceu ſacrilegos, publicos hoſtes, maximorumque flagitiorum reos illos perpetuo traduxere.

Quamquam igitur Chriſtiani primorum temporum determinatas haberent ædes, in quas Sacrorum conventuum ſuſcipiendæque Euchariſtiæ

cauſ-

cauſſa ſe ſe reciperent, ſævientibus tamen ſæpiſſime, & præter modum furentibus Tyrannis, eas, ſi ſalvi eſſe vellent ab Chriſtiani nominis hoſtium incurſionibus, deſerere plerumque cogebantur, atque minori cum vitæ diſcrimine aliis in locis, ita uti opportunitas & occaſio ferebant ſubito delectis, Synaxes celebrare. Qua in re mirum prorſus ac ſingulare priſcorum Chriſtianorum ſtudium fuit. Hanc proinde majorum noſtrorum ſummam habendarum Synaxeωn curam cum plurimum conducere ad ſtabiliendum, firmandumque veterum in Euchariſtiam amorem, & cultum intelligeremus, ſuſcepimus inluſtrandam arbitrati etiam noſtrorum temporum Chriſtianorum inflammari, atque excitari animos poſſe, quando priſci illi Chriſtiani ne pane Euchariſtico magnis in calamitatibus privarentur, tantopere laborabant. Addidere quoque ad id animum inconditi *ſermones* quidam *Liturgici* Romæ anno MDCCLXVI. Italice evulgati, atque Romæ uti eorumdem inſcriptio monet, coram Benedicto XIV. recitati. Auctor, quem nominare nolo, ſexto in ſermone de Speciali cultu, quo Chriſtifideles vel ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio altaris myſteria proſecuti ſunt, deque antiqua diſciplina in expiandis defectibus, diſputare aggreſſus eſt, tamque leviter, & inerudite graviſſimum argumentum digeſſit, ut mirum ſit coram Pontifice

rerum liturgicarum ſcientiſſimo ſermonem illum perlectum fuiſſe, ac deinde Romæ typis vulgatum. Agam igitur de priſcorum Chriſtianorum Synaxibus, quas extra ædes ſacras habuerunt, quum ab Ethnicis vexarentur iis, quæ dixi, ductus momentis, tum ut aliquam habere videar rationem hominum doctiſſimorum, qui quum noſtrum *de ſingularibus Euchariſtiæ uſibus apud veteres Græcos* commentarium, ſuperiore anno editum, publicis monumentis literarum laudaverint, etiam ad hunc alterum, quem modo vulgamus, conſcribendum excitarunt.

CA-

CAPUT II.

Chriſtianorum cœtus atque Synaxes nocturnæ plerumque fuerunt.

ANtequam vero de locis diſputemus, ad quæ vigentibus perſequutionibus Chriſtiani convenere, de tempore primum dicendum eſt quo ſuos habuere cœtus; tum de ſtatis ad id diebus; ac demum de ſignis, quibus ſe ſe cognoſcere & admonere potuerant, ſermo inſtituendus. Ut a tempore initium ſumamus, cum interdiu ad necem quærerentur, noctu conveniſſe explorata res eſt ex Plinii, Bythiniæ Proconſulis, ad Trajanum Epiſtola, in qua Imperatorem admonebat ſe a Chriſtianis, qui ejuſdem imaginem & Deorum ſimulacra venerati Chriſto maledixerant, nihil aliud ſe revera comperiſſe præter cœtus antelucanos: *adfirmabant autem*, inquit Plinius (*a*) *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erro-*

(*a*) Lib. X. Epiſt. XCVII. quæ exſcripſit Tertullianus cap. 2. Apolog. pag. 9. edit. inf. cit.

veris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. Quibus factis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſumque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium: quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua hæterias etiam vetueram; coitiones ſcilicet, factiones, amicitias, collegia; ἑταῖρος enim ſocium amicumque ſignificat. Vides hinc innocentiſſimas Chriſtianorum nocturnas coitiones, ut pane Euchariſtico veſcerentur, & æternam ac divinam Filii majeſtatem ſacra in liturgia celebrarent (*a*). Tertullianus oſtenſurus feminis Chriſtianis incommoda, quæ ex nuptiis cum viris Ethnicis redundant, congregationes nocturnas illis conſiderandas proponit: *Quis*, inquit (*b*) *nocturnis onvocationibus ſi ita oportuerit a latere ſuo eximi uxorem libenter feret?* Et Prudentius paſſionem

vide Voſſium, Bucknerum & alios ejuſd. epiſt. inluſtratores edit. Lugd. Batav. a. 1669.

(*a*) Vide Bullum in defenſ. fidei Nicænæ ſect. 3. §. 5. pag. 189. edit lond. 1703.

(*b*) Lib. 2. aduxor. c. 4. pag. 168.

nem S. Laurentii deſcribens præſidem Ethnicum introducit de argenteis vaſis cereiſque nocturnis in congregationibus adhibitis conquerentem:

Hunc eſſe veſtris orgiis
Moremque & artem proditum eſt
Hanc diſciplinam fœderis
Libent ut auro Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem
Auroque nocturnis Sacris
Adſtare fixos cereos.

Sed vero ad Apoſtolorum imitationem hæc facta ſunt, qui quum interdiu propter metum Judæorum ſacris operari non poſſent, noctu conveniebant. Hoc modo Petrus noctu e vinculis, in quæ Herodis juſſu fuerat conjectus, Angeli beneficio ereptus ad Mariæ Matris Joannis ædes acceſſit, in quibus multos congregatos (*a*) oran-

(*a*) Act. c. XII. v. 12. *Conſideranſque venit ad domum Mariæ Matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati & orantes.* Quæ & alia adeo clara ſunt ut ſuperflua omnino ſit quæſtio a Voſſio in Epiſtolæ Plinii ad Trajanum Commentario excitata, de nocturnis virorum ſimul ac Feminarum cœtibus.

rantesque invenit. Ita etiam Paullus Epheſo abire compulſus propter tumultum a Demetrio aurifice excitatum Throade Phrygiæ Urbe pauliſper commoratus, ſacram nocturno tempore celebravit Synaxin, & ſermonem ad Congregatos uſque ad auroram habuit. (*a*) Eumdem ob finem conveniſſe Chriſtianos illos, quos Plinius commemorat, ea præcipue verba indicant *ſeque Sacramento &c.* quæ non jam de juramento accipienda ſunt, cum nullo veterum teſtimonio conſtet ſe invicem Chriſtianos, ne peccarent juramento adegiſſe (*b*), ſed de Euchariſtia quod Sacramentum Plinio idem ac ſacer ritus erat; verbiſque propterea Chriſtianorum locutus ipſam Euchariſtiæ ſumtionem Sacramentum appellavit, quod eam ſcilicet Chriſtiani iis ſolum impertirentur, qui mundi eſſent, vitæque pravæ abdicationem inpoſterum pollicerentur.

Sum-

(*a*) Act. cap. XX. v. 7. & ſeqq. *una autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem Paullus diſputabat cum eis profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem uſque in mediam noctem &c.* & ibid. v. 11. *Aſcendens autem frangenſque panem, & guſtans ſatiſque allocutus uſque in lucem ſic profectus eſt.* Cum duplicis fractionis panis heic mentio fiat, duplicem habitam ſynaxin fuiſſe nonnulli putarunt. Vide Calmetium Commentar. ad cit. loc.

(*b*) Baron. ad A. C. 104.

Summo nimirum animi fervore, intimoque cordis affectu Chriſtiani ſacra in liturgia a Jeſu Chriſto flagitabant, ut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus quod ſuſcipiebant, ſibi vires ac robur adjungeret, quo in corruptiſſimis hominum moribus, ac quotidiano fere vitæ diſcrimine, furta, latrocinia, adulteria aliaque ſcelera, quibus ſeſe Ethnici implicabant, evitare poſſent, ac vitam Chriſtiano nomine dignam traducere. Hac conſcientia ad ſacra cum accederent, non malo animo ferebant appellari eorum ſocietatem *latebroſam ac lucifugam nationem*, *in publicam mutam*, atque in *angulis garrulam* (*a*); denique clancularios eſſe eorum conventus (*b*), quos ſciebant ſolum ſe ſacrorum cauſſa coegiſſe.

In his quoque nocturnis cœtibus ſacram fuiſſe celebratam liturgiam, ad eosque Chriſtianos præcipue ventitaſſe ut pane Euchariſtico ſe ſe communirent, perſuadent etiam quæ addit Plinius de illorum more; quod nempe poſtea coirent ad *capiendum cibum promiſcuum & innoxium*, quibus *Agapæ* indicantur, quas Chriſtia-

(*a*) Apud Minucium in Oct. Vide quæ ad hunc locum Elmenhorſtius & Wouvertius congeſſerunt.
(*b*) Origen. lib. 1. c. Celſum num. 1.

ſtiani poſt ſumtam Euchariſtiam celebrabant; perſuadent denique calumniæ quibus ethnici cœtus illos infamaverunt: *Dicimur ſceleratiſſimi*, ajebat Tertullianus (*a*) *de ſacramento infanticidii, & pabulo inde, ac poſt convivium inceſto; quod everſores luminum canes lenones ſcilicet, tenebras, tum & libidinum impiarum inverecundiam procurent. Dicimur tamen ſemper; nec vos, quod tamdiu dicimur, eruere curatis*. Idem Octavio objiciebat Cæcilius Ethnicus inquiens (*b*): *Jam de initiandis tirunculis, fabula tam deteſtanda quam nota eſt. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui ſacris imbuatur. Is infans a tirunculo farris ſuperficie, quaſi ad innoxios ictus provocatò cæcis occultisque vulneribus occiditur: hujus proh nefas! Sitienter ſanguinem lambunt, hujus certatim membra diſpertiunt, hac fœderantur hoſtia, hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignerantur, hæc ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora*. Quæ profecto de habitis a Chriſtianis Thyeſtœis cænis (*c*) calumnia a fractione & diviſio-

(*a*) Apolog. cap. VII. pag. 29. Edit. Ven. 1744.
(*b*) Apud Minucium Felicem in Octavio.
(*c*) Atræus Thyeſtis frater ejus liberos necavit, & in eſcam obtulit, cui propterea Thyeſtes multa mala imprecatur apud Cic. lib. I. Tuſcul. ex En-

ſione panis euchariſtici, qui Chriſtianis iis in congregationibus diſtribuebatur, originem duxit, uti etiam animadvertit Havercampius (*a*); nam quum Chriſtiani nonnulli ſuis in antelucanis cœtibus manducare ſe Jeſum, divinum ex Maria puerum, dicerent, abominabile illud ſcelus infanticidii Gentiles ad calumnias proni excogitarunt, judæos imitati, qui id primo Chriſtianis affinxerunt, quemadmodum eſt ab Origene traditum (*b*), & a Mamachio, viro doctiſſimo, obſervatum (*c*); qui etiam quomodo Chriſtiani has aliasque ſimiles calumnias a ſe propulſaverint, præclara ut ſemper ſolet eruditione demonſtrat. Fabulam autem Oedipodæos concubitus (*d*), inceſtus ſcilicet nefarii quo pariter Chriſtiani ab Ethnicis incuſabantur (*e*), eo hi collegerunt, quod noſtri Sacra in Synaxi ſe mutuo oſcularentur, ſeſeque fratres (*f*), atque ſorores com-

---

Ennio. Sed de Antropophagia Chriſtianis objecta lege Kortholti librum *de calumniis Paganorum* c. 18.

(*a*) In cap. VII. Apolog. Tertul. pag.29. cit.edit.

(*b*) Lib. VI. contra Celſum num. XXVII.

(*c*) Orig. & Antiquit. Chriſt. lib. 1. §. XXIII. num. 3. pag. 157.

(*d*) Œdipus matrem uxorem duxit. De eo plura apud Natalem Comitem Mythol.lib.9.cap.XVIII.

(*e*) Athenag. legat. pro Chriſt. num. III.

(*f*) Athenag. loc. cit. num. 32. pag. 310. edit. Paril. qua cautione Chriſtiani ſe oſcularentur oſten-

dicerent; cænasque ſuas ex amore & caritate Agapas vocarent. Ceterum ſe mutuo Chriſtiani veteres ſacra in liturgia oſculabantur ſecundum Petri Apoſtoli (*a*) & Paulli (*b*) monitum ἀσπάσασθε ἀλλήλοις ἐν φιλήματι ἁγίῳ *Salutate invicem in oſculo ſancto*; erat ſcilicet inter illos communionis, & in eadem Religione conſenſus teſtimonium. Figebant porro ſibi oſcula Chriſtiani ſacris præcipue cum adſtarent, ut quod illa actione publice profitebantur, id etiam hoc Symbolo addito confirmarent (*c*), conſenſum ſcilicet in doctrina, & piam caſtamque dilectionem.

ſtendit, ſcribitque *adorationem* potius quamdam, quam oſculum fuiſſe. τὸ φίλημα, μᾶλλον δὲ τὸ προσκύνημα.

(*a*) Epiſt. 1. cap. 5. v. 14.

(*b*) Epiſt. ad Rom. v. 16. cap. XVI. Et 1. Cor. cap. XVI. v. 20. & 2. Cor. XIII. v. 12.

(*c*) De oſculo ſcripſerunt Jo: Lomejerus in diſput. de Oſculo. Jacob. Laur. Hoornebeeckius Miſcell. Sac. c. 18. Sect. 1. §. 10. Diebus feſtivis, ac ſolemnibus, Paſchate præſertim & Pentecoſte, frequentiora inter Chriſtianos Oſcula interceſſere. Martyrum ſepulchra, & Chriſti Confeſſorum vincula oſculari etiam eosdem conſueviſſe ex Tertulliano & Prudentio patet; quos affectus pios perperam Lomejerus & alii ſuperſtitionis incuſant.

CAPUT III.

Dominicis præcipue diebus frequentarunt Euchariſtiam, & aſſiduis ſynaxibus Pentecoſten celebrarunt.

SEd de tempore, nocte ſcilicet, qua ſoliti Chriſtiani fuerunt Synaxes celebrare, ſatis, uti arbitror, jam diximus, nunc de præſtitutis ad id diebus ſermo inſtituendus. Ac principio quidem quamvis priſcorum Chriſtianorum fervor ac pietas, & in panem euchariſticum ſingularis amor faciat ut cogitemus ſæpiſſime eos conveniſſe, ubi potuerunt, ad frangendum panem juxta Apoſtolorum morem & conſuetudinem (*a*), tamen ab hoc propoſito & voluntate frequentique Euchariſtiæ ſumtione fuiſſe exturbatos ſævientibus perſequutionibus indubium eſt. Tunc ſcilicet enitebantur, ut diebus ſaltem Dominicis ſimul ad id operis congregarentur, panemque Euchariſticum acciperent, quo reliquis heb-

(*a*) Actor. cap. II. v. 42. & 46. quæ Cotelerius, & Beveregius in vindiciis Canonum Eccleſiae primitivæ egregie illuſtraverunt.

hebdomadas diebus ſancte veſcerentur. Inluſtre huiuſce moris, & priſcæ liturgiae teſtimonium edidit Juſtinus Philoſophus & Martyr, compulſus calumniis Ethnicorum: *Solis ut dicitur die,* inquit Juſtinus (*a*) *omnium ſive urbes, ſive agros incolentium in eumdem locum fit conventus* καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, *& Commentaria Apoſtolorum aut ſcripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector deſiit, is qui præeſt admonitionem & adhortationem ad res tam præclaras imitandas ſuſcipit. Poſtea omnes ſimul conſurgimus, & preces emittimus: atque ut jam diximus (b), ubi deſiimus precari, panis affertur & vinum & aqua; & qui præeſt, preces & gratiarum actiones totis viribus emittit, & populus acclamat Amen; & eorum in quibus gratiæ actæ ſunt; diſtributio fit, & communicatio unicuique præſentium, & abſentibus per Diaconos mittitur* (*c*). Quare autem Chriſtiani die Dominico, quæ *dies ſolis* dicebatur (*d*) præcipue convenirent ad Syna-

(*a*) Apolog. I. num. 67.
(*b*) Ibid. num. 65.
(*c*) Vide Clem. Alexand. lib. I. Strom. p. 318. Edit. 1753.
(*d*) Lex Conſtantini Imp. A. D. CCCXXI. lata in cod. Juſt. de fer. l. 2. *omnes Judices, Urba-*

naxin, explicat eodem loci Juſtinus inquiens τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινηπαντες κ.τ.λ. *die autem ſolis omnes ſimul convenimus, tum quia prima hæc dies eſt, qua Deus, cum tenebras, & materiam vertiſſet, mundum creavit, tum quia Jeſus Chriſtus Salvator noſter eadem die ex mortuis reſurrexit*. Hac ſcilicet de cauſſa dominicum diem Chriſtiani ſacros ad conventus præcipue delegerant, non vero quod ſolem, beneficum nempe illum planetam, honore aliquo proſequerentur: *ſi die ſolis indulgemus*, ajebat Tertullianus (*a*), *alia longe ratione, quam religione ſolis*. Quamquam igitur Chriſtianis, quemadmodum & Apoſtolis ab ipſo Chriſto edoctis, nihil antiquius eſſet, quam ut frequentioribus Synaxibus Domini ſui, noſtrique mortem, Euchariſtiam ab ipſo inſtitutam peragendo, commemorarent, deſideriis tamen ſuis, propter Ethnicorum ſævitiam

---

næ plebes, & cunctarum Artium officia, venerabili die Solis quieſcant. Et in Cod. Theod. lib. 2. tit. 8. *de feriis execut.* & lib. II. tit. 5. *de exact.* Vide etiam Alexandrum Lesleum in notis ad Miſſale Mozarabum pag. 497. ubi agit de diei Dominicæ peculiari cultu.

(*a*) Apologet. c. 1. Conſule Menardum, Frontonem, & Queſnellum in Notis ad ep. II. S. Leon. alias 81. ad Dioſc. Alexand. ubi exponitur ratio cur Patres diem Dominicum pro die Reſurrectionis ſeu Paſchatis acceperint.

tiam moderari cogebantur, & die Dominico tantum cum poſſent, convenire. Abſit ideo ut ad ſolam hanc diem veterum Chriſtianorum Synaxes coarctemus. Scimus enim, cum iisdem liber pateret ad Eccleſias aditus ſæpius conveniſſe, & ter quaterque etiam (*a*) Synaxes celebraſſe in hebdomada, & nonnullos etiam quotidie Euchariſtiam ſumſiſſe (*b*), ſecundum ſcilicet varios regionum mores (*c*) & diſciplinam. At alicubi furente Ethnicorum rabie ſummum Chriſtianorum frequentandæ Euchariſtiæ ſtudium fuiſſe quis dubi-

(*a*) Baſilius Epiſ. ad Cæſariam XCIII. alias CCLXXXIX. tom. 3. Opp. Epiphanius in expoſit. fidei, & ejuſdem operum editor magnus Petavius num. XXII. pag. 350. edit. 1682. animadverſionum. Neſcio vero cur adverſus traditionem Apoſt. ab Epiphanio memoratam de habendis Synaxibus quarta, ſextaque feria & Dominica caput XVI. Epiſt. Paulli ad Corinthios laudaverit; quum ibi nihil Doctor gentium habeat quod Epiphanio contradicat, & Apoſtolus de *collectis* in ſubſidia pauperum faciendis, non de Synaxibus loquatur.

(*b*) Cyprian. De Orat. Dom.

(*c*) S. Auguſt. Epiſt. CXVIII. *Alia vero quæ per loca terrarum regioneſque variantur; ſicut eſt quod alii jejunant Sabbato, alii vero non: alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico: alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur; alibi Sabbato tantum & Dominico; & ſiquid aliud hujuſmodi animadverti poteſt; totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes;*

bitet? Scimus ſeſe collegiſſe tum ſæpius, quamvis quotidie ab iisdem opprimerentur teſte Tertulliano (*a*): *quotidie obſidemur, in ipſis plurimum cœtibus & congregationibus noſtris.*

Diximus igitur modo ex Juſtino Chriſtianos ethnicis ſub Principibus ſaltem Die Dominico caſtas in Synaxes coiviſſe. Sed vero licet habita ratione iniquitatis illorum temporum dies alii ſtatui, ac declarari non poſſint, quibus alios cœtus habuerunt, tamen rem admodum probabilem judicamus, ſummam etiam curam præcipue poſuiſſe, ut frequentiores haberent Synaxes iis quinquaginta diebus, quæ Paſcha inter & Pentecoſten intercedunt. Notum eſt eos dies maximæ lætitiæ, & gaudii veteribus Chriſtianis fuiſſe, celebratoſque ab iisdem tanta alacritate, & animi exſultatione, ut Pentecoſtes ſolemnitatem (*b*) dies omnes feſtos Paganorum & numero, & dignitate, & clara ſignificatione geſtientium animorum ſuperaſſe Tertullianus adfirmaverit: *Excerpe*, inquit Se-

(*a*) Apolog. cap. VII.

(*b*) Solemnitatis Pentecoſtes nomen uſurpari pro toto tempore, quod a Paſchate ad diem miſſi Spiritus decurrit, ex Tertulliano, Juſtino, Irenæo, Hieronymo, Auguſtino, Baſilio aliiſque obſervat Theophilus Rainaudus Tract. *de prima Miſſa* Sect. 1. cap. V. pag. 40. edit. Lugd. 1653.

(*a*) Septimius, *ſingulas Solemnitates nationum & in ordinem exſere, Pentecoſten implere non poterunt*. Et alio in loco de iisdem diebus loquens ajebat *cur quinquaginta exinde diebus in omni exſultatione decurrimus?* Cauſſam tantæ ſolemnitatis Albaſpinio ſedulo inveſtiganti, ea occurrit (*b*) ſcilicet totis illis quinquaginta diebus ſumtam ab fidelibus fuiſſe Euchariſtiam, æquatoſque dies illos totidem dierum Dominicorum celebritati, quos ſacris habendis Synaxibus priſcos Chriſtianos præcipue conſecraſſe modo vidimus. (*c*) In eo igitur omnis opera actioque illorum verſabatur, ut ſumma cum animi voluptate Chriſti Domini laudes, & præconia canerent, crebraſque per hos quinquaginta dies, ac quotidianas haberent Synaxes, atque ut diebus Dominicis, ita a Paſchate ad Pentecoſten jejunia intermitterent, neque in genua procumberent, ut ajebat laudatus modo Ter-

(*a*) De Idololatria cap. XIV. pag. 94. edit. 1744.
(*b*) Lib. I. Obſerv. XI. pag. 106.
(*c*) S. Thomas in off. Corporis Chriſti hæc præclare in rem noſtram ſcribit: *Congruit ut tanti Sacramenti inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus quo Spiritus Sanctus corda diſcipulorum edocuit ad plene cognoſcenda hujus myſteria Sacramenti; nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari.*

Tertullianus. Totos autem eos dies ſine ullo labore ac ſervili opere (ut apud nos hodieque dies feſti agitantur) ab illis fuiſſe traductos credibile non eſt ; alioquin quivis Chriſtianus agnoſci facillime ab Ethnicis potuiſſet ; & non pauci Chriſtiani tenuis fortunæ cum eſſent, grande ex operum intermiſſione detrimentum accepiſſent. His rationibus eo etiam adducimur ut opinemur, ſummam illam lætitiam atque dierum celebritatem a Septimio commendatam, domi, ac privatim Chriſtianos continuiſſe, ne ad cauſſam tantæ rei perquirendam Ethnicos excitarent, maxime quum perſequutio durius, ac gravius deſæviret.

CAPUT IV.

Rejecta Amalarii de Pulſatione lignorum & Baronii de Curſoribus ſententia, ſtatuitur probabilius Chriſtianos ab ethnicis vexatos, vel a Diaconis aut Viduis, aut denique ab Epiſcopis, Presbyteris, aliiſque modis admonitos ad Synaxes conveniſſe.

SEd quo jam ſigno Chriſtiani, furente perſequutione, ſeſe multuo in Synaxes colligerent, quave nota cognoſcerent, jam placet exquirere, atque in curioſa, nec inutili fortaſſe diſputatione accurate verſari. Nonnullorum ſententia eſt Chriſtianos veteres nullo inſtrumento futuri conventus admoneri potuiſſe quod nullum tum fuiſſe crediderint, quo uti poſſent. Quorum ſententia cum nullam præſefert notitiam vetuſtatis, tum inſtrumentorum uſum poſſibilem iis temporibus ſtatuit, quae nullum admittebant. Atque ut heic nihil dicamus de Siſtris, ac Tintinnabulis, quorum Apulejus, Martialis, Juvenalis, Suidas, Lucianus, aliique meminere, notæ ſunt Tibiæ, Tubæ, ac Buccinæ, quibus Hebræos uſos fuiſſe litteræ veteris

teris Inſtrumenti teſtantur. (*a*) Habuiſſe etiam veteres inſtrumenta ex ære lignove confecta, quibus cum in ſolemnitatibus ac victoriis uterentur, tum ad populi convocationem adhiberent patere arbitror ex Papinio Statio, qui de Eteoclis Thebanorumque ſacris pro devictis Grajis, qui cum Adraſto ad Polynicis favorem arma ſumſerant, ita canebat (*b*).

At non Sidoniam diverſa in parte per urbem
Nox eadem: vario producunt ſidera ludo,
Ante domos, intraque, ipſæque ad mœnia marcent
Excubiæ, gemina æra ſonant, idæaque terga
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Aliam igitur habuere Chriſtiani cauſſam, cum nullis ad conventus indicendos uſi ſunt inſtrumentis, quam nondum eorumdem uſum invectum. Obſtabant ſcilicet Tyranni, qui cœtus exturbare facillime, & congregatos necare poterant, ſi inſtrumenta ſtrepitum edentia adhibuiſ-

(*a*) Revera antiquos monachos, quum nondum aera compana inventa fuiſſent, tubis congregari conſueviſſe tradit Climacus Gradu 19. & Pachomius in ſua Reg. cap. 3.

(*b*) Lib. 8. Thebaid.

buiſſent. Hoc eodem momento abſurda, ac prorſus improbabilis Amalarii opinio eſt, qui lignea quædam inſtrumenta Chriſtianos tum temporis pulſaſſe commentus eſt, eo ferme modo, quo nunc ſilentibus æris campanis tribus poſtremis majoris Hebdomadæ diebus, quorumdam ligneorum inſtrumentorum uſus invaluit. Sed feſtiva Amalarii verba exſcribamus: loquens enim de tribus iis majoris Hebdomadæ diebus, uti modo diximus (*a*) inquit: *altitudo lignorum quæ fiebat per vaſa ærea, deponitur, & lignorum ſonitus uſquequaque humilior æris ſono neceſſario pulſatur, ut conveniat populus ad Eccleſiam: poteſt & in hoc humilior uſus Eccleſiæ Romanæ deſignari antiquis temporibus, quam nunc ſit, & præcipue tunc quando latitabat per cryptas propter perſequutores: nunc adhuc junior Roma, quæ antiquis temporibus ſub uno Domino cum antiqua Roma regebatur, uſum lignorum tenet, non propter æris penuriam, ſed propter vetuſtatem*. Cardinalis Baronius quoſdam ad id muneris deſtinatos fuiſſe miniſtros, *curſores* dictos, arbitratur, qui ſingulos privatim admonerent, quo loco ac tempore

---

(a) Lib. IV. cap. 21. divini Offic.

pore Synaxes eſſent habendæ: *ad cogendum* inquit (*a*) *in unum locum fideles omnes precum cauſſa, quo uſque Dei Eccleſia ſub gentium Regibus undique quaſi hoſtibus obſeſſa permanſit, haud liberum erat populum patenti aliquo ſigno ad Synaxin, publicumque convocare conventum. Nec licet certi ſtatuti eſſent dies celebrandi conventus, ipſa dies (quod ajunt) poterat interpellare pro homine: nam urgente perſecutione, haud liberum erat ibidem ſemper loci convenire: ſed neceſſe erat frequenter mutare loca, eademque nec inventu facilia. Quamobrem privatim ſingulos a miniſtro Eccleſiæ id muneris obeunte, qui* Curſor *dicebatur, Epiſcopi, ſeu Presbyteri monitu vocari opus erat.* Stabilire inde ex Ignatii ad Polycarpum Epiſtola (*b*) ſuam nititur de *Curſore* ſententiam, quam etiam Jo. Gerardus Voſſius (*c*) & Franciſcus Berlendius (*d*) excepere. Sed vero quamvis probari poſſit Chriſtianos privatarum miniſterio perſonarum futuri conventus diem, locum, & horam didiciſſe; quod tamen de *curſoribus* ex Ignatio ſcribit, probari nul-

(*a*) Ad A. C. 58. num. CII.
(*b*) Ignat. epiſt. II.
(*c*) Comment. ad cit epiſt. Plinii.
(*d*) De oblat. ad Alt. §. IV. num. VII.

nullo modo poteſt, quum ſit manifeſtum (*a*) ea in Epiſtola non de hominibus haberi ſermonem, quorum Synaxes indicere officium eſſet, ſed nuntios, germanoſque curſores indicari ex una in aliam regionem graviſſimis de cauſſis tranſmittendos. Quod etiam clarius adparet ſi alia ejuſdem Ignatii ad Smirnenſes Epiſtola; itemque altera Polycarpi ad Philippenſes conſulatur.

Rejecta proinde hac de *Curſore* ſententia aliis omnino modis Chriſtianos ad habendas Synaxes cogi potuiſſe arbitramur. A vero imprimis non abhorret Diaconis id muneris commiſſum fuiſſe. Ignatius ad Heronem Diaconum Antiochenum ita ſcribebat (*b*) *Synaxin ne negligas, omnes nominatim inquire* quod ut ageretur frequenter ad Epiſcopum pertinebat: quam ob cauſſam idem Ignatius his verbis (*c*) Polycarpum admonebat: *crebrius celebrentur conventus, Synodique: nominatim omnes inquire*; atqui poſtrema verba de cogendis ad Synodum intelligenda fortaſſe ſunt, quum veroſimile haud ſit Epiſcopos per ſin-

(*a*) Vide Bonam Rer. Liturg. lib. I. c. 22. n. I. Et Binghamum Orig. Eccleſiaſt. lib. VIII. cap. VII. num. 15.

(*b*) Epiſt. 13.

(*c*) Cit. Epiſt. ad Polycarp.

ſingulorum Chriſtianorum domos circumiviſſe. Potuit id etiam fieri opera feminarum, ſive Diaconiſſarum, quarum cætera inter munus erat, feminis baptizandis præſto eſſe, mulieres ægrotas & adflictas viſitare, ac denique carcere detentos inviſere, ut ex Luciano (*a*) Libanio (*b*) atque aliis (*c*) conſtat: ita ſine ſuſpicione adire domos poterant, & Chriſtianos Synaxeos admonere. Id etiam viros præſtitiſſe, maximeque ſibi proximos, & amicos admonuiſſe quid prohibet? Epiſcopis quoque ac Presbyteris, finitis ſacris eos, qui adfuerant, diei ac loci pro habenda Synaxi, commonere facillimum erat; eo fere modo quo diſciplina inde obtinuit, & uſque ad noſtra tempora perſeverat, ut a Preſbyteris & Eccleſiarum rectoribus vel e pulpito, aut altari populi de futura ſolemnitate, ac jejunio edoceantur, quod quidem antiquitus circa jeju-

(*a*) Epiſt. de morte Peregrini.

(*b*) Orat. de Vinctis, & orat. XVI. in Tiſamenum.

(*c*) Cotelerio Not. in Conſt. Apoſtolic. lib. 3. cap. 15. Halliero de ſac. elect. p.2. ſect. 5. c. 2. Morino de ſac. Ordinat. Muratorio diſs. 57. antiq. medii ævi tom. 4. pag. 854. & in Not. ad Nat. XII. S. Paulini tom. I. anecdot. pag. 55. ubi harum Diaconiſſarum veſtigium in *Veglonißis* Eccleſiæ Mediolanenſis agnoſcit.

jejunia præcipue obſervatum fuit quia ſtatam definitamque ſedem non habebant (*a*). Id quod etiam Gentiles ſuis in ſacris conſtituerant, ut cuncta ordinate fierent. Hinc junior Seneca ajebat (*b*): *indicit feſtum diem, aperiri jubet maiorum imagines*, & Libanius (*c*): *ubi ſtatutus dies advenit a Sacerdotibus templa reſerantur*; ac denique notæ ſunt illæ priſcorum formulæ, quibus dies feſti indicebantur: *Lavatio matris Deum eſt hodie*; *Jovis epulum cras eſt* &c. Ordo igitur exigebat, ut etiam Chriſtiani ſuis de congregationibus edocerentur; & hoc eſt quod veterum in ſcriptis legitur *indicere cœtum*. Denique plerisque Chriſtianis noti fere erant loci ac ædes, in quibus frequentius cœtus, ac Synaxes habebantur. In eas proinde ſe plerumque ſola devotione actos recepiſſe credibile eſt ſine monitore. Dificiliora tamen tempora excipienda ſunt; nam vexati Chriſtiani crudelibus, acerbiſſimiſque perſequutionibus locum ſæpe mutare, eumque abditiſſimum nec inventu facilem, quærere cogebantur, unde nec ſolo ſtudio religionis poterant convenire, nec in uno Conventu alterius præ-

(*a*) Bona lib. II. cap. XVI.
(*b*) Lib. 3. Controv. 21.
(*c*) Expoſ. I.

præmoneri. Tum quidem Synaxes fiebant magis ſolitariæ, vicinique inter ſe Chriſtiani uniebantur, pauciſque hinc & inde collectis ſociis conventus agebant, ut infra ex Tertulliano conſtabit luculenter.

CA-

CAPUT V.

Quædam in annulis ſigna geſtarunt, quibus ſeſe Chriſtiani cognoſcere, ac etiam in cœtus cogere poterant.

SÆpe hinc odio & metu Ethnicorum diſperſos, fugatosque Chriſtianos aliquod præſetuliſſe ſignum, ac notam, qua ſocios diſcernerent, ſeque mutuo de Synaxeon locis facerent certiores non difficulter credendum eſt. *Aliquam ſane teſſeram* ait Cardinalis Bona (*a*) *ſive ſignum fuiſſe, quo Chriſtiani & ſe mutuo agnoſcerent, & loca ſcirent ac tempora Synaxeos peragendæ, certæ fidei res eſt; ſed quale hoc ſignumfuerit ignoramus.* Atqui in primis ſtatuendum eſt ſigna ac notas Chriſtianorum ejus generis fuiſſe, quæ ab ſolis initiatis diſcernerentur; quod diſplicebat Ethnico Cæcilio dicenti (*b*) *occultis ſe notis & inſignibus noſcunt.* Cui licet Octavius reſponderit *nos non notaculo corporis, ut pu-*

(*a*) Lib. I. Rer. Liturg. cap. XXII. num. I.
(*b*) Minutius Felix in Octav.

putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facile dignoſcimus, hæc tamen intelligenda ſunt de iis notis, quibus inſignitos Chriſtianos putabat Cæcilius ad perniciem imperii & molitionem rerum novarum excogitatis. Nam etiam cum neſcio quid de ſacramento audiviſſent, jusjurandum aliquod eorum in cœtibus intercedere exiſtimaverunt ad conflandas conjurationes, eo fere modo quo Catilina ſibi devinxit ſocios conſpirationis ſuæ. Itaque negavit Octavius ſigno ad id invento Chriſtianos incedere, recteque dixit illos innocentiæ, ac modeſtiæ ſignis a ceteris diſtingui potuiſſe; nam etiam quum Ethnici theatris aliisque ſpectaculis operam darent, cremarent corpora mortuorum, & ſepulcra defunctosque coronis decorarent, convivia luxus ſuperſtitionis, obſcœnitatis ac impudentiæ plena facerent; Chriſtiani autem nil horum molirentur, fiebat ut multo plures Ethnici ſanctiorem ab iis coli diſciplinam cognoſcere potuerint, ſi revera voluiſſent. Itaque ſigna prorſus ſancta, atque incorrupta ſtatuenda ſunt illa quæ Chriſtiani geſtaverunt, ut ſe cognoſcerent, & de futuris Synaxibus redderent certiores. VVouverius cum laudata Octavii verba illuſtraret, arbitratus eſt Chriſtianos manibus & brachiis Chriſti nomen, aut crucis effigiem, qua ſe mutuo noſcerent, impreſſiſſe. Revera Procopius ad Eſaiæ verba *ET alius*

de-

deſcribet manu ſua, (*a*) τὸ δὲ, inquit, τῇ χειρὶ, διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς ἐπὶ καρπῶν, ἢ βραχιόνων, ἢ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ τὴν Χριστοῦ προσηγορίαν, quæ eam Paulli ſententiam videntur, attingere (*b*), ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω. Inter hæc ſigna Alpha & Omega cum Chriſti monogrammate numerari poſſunt. Hoc ſignum in annulis, in gemmis, in amuletis, in lucernis Chriſtianorum ante Conſtantini Magni tempora exculptum fuiſſe adverſus Basnagium demonſtravit Dominicus Georgius (*c*) præclaris rationibus & monumentis. Eo ſcilicet ſigno ſæpe Chriſtiani utebantur; quod hoc præ ceteris Deus ſacris in litteris (*d*) inſignitus adpareat eumdemque rerum omnium principium ac finem eſſe ſignificet ἐγὼ εἴμι Α καὶ Ω λέγει ὁ Κύριος ὁ Θεὸς, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν. Nomen etiam Jeſus Chriſtique iisdem annulis inſculpſerunt. Eques Victorius veterem Chriſtianum nummum illuſtraturus gemmam annularem protulit, in qua anchora binique piſces conſpiciuntur; in ſuperna autem parte IHCOYC in

(*a*) Cap. 44.
(*b*) ad Gal. c. ultim.
(*c*) Diſſert. de Chriſti Monogrammate &c. Romæ 1738. cap. 4. pag. 14.
(*d*) Apoc. cap. 1.

in inferna vero XPEICTOC nomine inſculpto. Idem tres quoque æreos Chriſtianorum annulos exhibet, in quibus Chriſti monogramma videre licet, & in illorum uno A & Ω ad latera monogrammatis. Quod dum Chriſtiani actitabant, ut ſe ſe mutuo cognoſcerent, confundebant etiam Baſilidis ſectatores alioſque Gnoſticos, qui ſuis in annulis, ut notat vir doctiſſimus Jo. Lamius (*a*) effingebant nominum quorumdam & figurarum portenta. Nomen etiam, ac figura piſcis tunc Chriſtianis in deliciis fuit, ac utrumque non ſemel in annulis ſecundum Clementis Alexandrini monitum (*b*), in lucernis, in ſepulcris expreſſerunt.

(*a*) De Erud. Apoſtolor. cap. 4.

(*b*) Lib. II. Pædagogi cap. XI. *ſed neque eſt a viris annulus in articulo ferendus, hoc enim eſt muliebre: ſed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte eſt collocandus, ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis, in quibus ea egemus. Sint autem nobis ſignacula columba, vel piſcis vel navis, quæ celeri curſu a vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel ancora nautica, quam inſculpebat Seleucus; & ſiquis ſit qui piſcetur, meminerit Apoſtoli & puerorum qui ex aqua extrahuntur &c.* Sed de Piſce Chriſti ſymbolo elaboratam edidit diſſertationem Anſelmus Coſtadonius Monachus Camaldulenſis, quæ tomo XLI. Collectionis Calogerianæ inſerta eſt. De figura Anchoræ, Navis, Oleæ, Columbæ &c. diſſerit Mazzochius in Epiſt. ad laudat. Georgium.

runt. Antonius Maria Lupius diſſertatione tertia inter Philologicas & antiquarias, in qua S. Innocentii pueri & Martyris Sarcophagon illuſtrat, animadvertit (*a*) in Urna juxta S. Martyrem poſita aliquot græcas litteras inſculptas fuiſſe, quæ Chriſti ſignificant divinitatem, cujus cauſſa ille ſanguinem fuderat. *Hæ autem litteræ* (ſic docti hominis reddimus italica verba.) *Sunt* I. X. Θ. Υ. Σ., *quas Veteres adhibuerunt, ut ſe ſe ceu cifra cognoſcerent, quin ab Ethnicis noſcerentur; & aliquando ipſis in annulis effictæ, inciſæque Chriſtianorum ſepulcris in fidei proteſtationem, hodie fere non intelligerentur, niſi Sancti Eccleſiæ Patres ſuis in libris earumdem meminiſſent. Si huiuſmodi litteræ ceu nomen unum efformantes accipiantur; græco idiomate Piſcem* ιχθῦ *ſignificant: quo nomine (quemadmodum etiam aliquando figura piſcis) myſtice Chriſtiani veteres Jeſum ſignificare voluerunt, qui viſum animæ humani generis reſtituit, & Dæmonem e mundo pepulit, ſicut olim piſcis ille, qui ſenem Tobiam cæcum factum illuminavit & Dæmonem e Raguelis domo ejecit. Atqui haud debent litteræ huiusmodi ea ſola ſignificatione accipi & explicari. Conſiderandæ præcipue tamquam initiales litteræ quinque diverſorum græcorum nominum,*

(*a*) Pag. LXVI. & ſeq. edit. Aretii a. 1753.

num, *quibus ſignificatur* JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR : ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ *& hujuſmodi ſignificatione ſenſuque intellectæ optime Urnæ illi inſculptæ ſunt*, *quæ præmium a S. Martyre acceptum refert &c.*(*a*) His aliisque huiuſce generis ſignisChriſtianorum annuli inſigniti cum eſſent, poterant facile ab initiatis Chriſtianæ fidei myſteriis dignoſci, cogique ad cœtus, atque Synaxes, qui eosdem geſtabant. Quare in actis Cæciliæ legitur Valerianum reperiſſe S. Urbanum Pontificem, qui ad evitandas inſidias Paganorum latebat, *ſigno*

(*a*) Anaſtaſius Sinaita in Hexameron lib. 5. agens de piſcium generatione Geneſis 2. deſcripta ait: *eſt quædam admirabilis ratio in natura aquarum valde appoſita*, *& conveniens regenerationi baptiſmatis*, *quæ fit ſine ſemine & corruptione. Nam ut dicunt*, *qui norunt piſcandi artem*, *habet quidem piſcium natura maſculinum & fæmininum ſexum natantes & inter ſe non coeunt*; *ſed ſine ſemine ex aqua & ſpiritu veluti pariunt*: *proprie & ſine dubitatione eo exemplo ſignificante ſpiritualem & ſine ſemine noſtram ex aqua & ſpiritu generationem*, *de qua dictum eſt*, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Concinne iſta profecto, inquit Rainaudus lib. cit. ſect. 1. cap. 22. pag. 188. & apte ad exponendum, quare Chriſtus Dominus dictus ſit piſcis; quia abſque ſemine paterno, de Spiritu Sancto dumtaxat, & Matre conceptus eſt. Sed vide Auguſtinum lib. 18. de Civitate Dei c. 23. Tertul. lib. de Baptiſ. cap. 1.

gno quod acceperat. Quo magis magisque opinor, Chriſtianos veteres & maxime ſacerdotes veſtibus ab gentilibus uſos non fuiſſe diverſis, ut fallerent diligentiam Ethnicorum. Dudum ſane animadverſum ab iis eſt, qui rem veſtiariam hominum primitivorum illuſtraverunt, ac præſertim ab Joanne Lamio (*a*) exploratæ fidei eſſe Chriſtianos juxta patriæ & regionum ſuarum mores veſtes cum Ethnicis habuiſſe communes, & erraſſe Salmaſium (*b*) qui credidit ſtatimac quis Chriſtianae religioni nomen dediſſet, habitum veſtemque mutaviſſe. In Picturis ſane veterum Martyrum ſæpe immagines conſpiciuntur exornatæ ſecundum morem illarum regionum, in quibus vitam traduxerunt; & quoad Sacerdotes adtinet pari cum aliis indutos habitu inceſſiſſe ſuadet etiam exquiſitum ſtudium Ethnicorum in iisdem perquirendis. Hinc Aſpaſius Paternus Africæ Proconſul a Cypriano poſtulabat, quinam Carthagine forent Sacerdotii jure inſigniti? Quod fruſtra quæſiviſſet, ſi ex habitu aliave nota eos potuiſſet agnoſcere.

CA-

(*a*) Lib. cit. cap. 4.

(*b*) Vide quæ acriter & infeſte ſcripſit Dionyſius Petavius adverſus Commentarium Salmaſii ad librum Tertulliani *de Pallio*.

CAPUT VI.

Apoſtolorum exemplo primo ſacras ſynaxes habuerunt in domibus privatis, ſelectis altioribus ædium cubiculis.

EXpoſitis explicatiſque temporibus ac diebus (quantum equidem in multa obſcuritate rerum fas erat conjicere) quibus Chriſtiani veteres ſuas habuere Synaxes; propoſitiſque etiam notis ac ſignis, quibus ſe ſe potuerunt mutuo cognoſcere, de locis jam dicere ingrediamur, quæ illi ab Ethnicis vexati pro cœtibus, ac Sacris delegerunt. Principio Apoſtoli privatis in ædibus operati ſunt auguſtis myſteriis. Vetus ac conſtans traditio eſt Apoſtolorum Principem S. Petrum (*a*) cum Romam pervenit, a Pudente Senatore hoſpitio exceptum, ſacris in ejuſdem domo operatum fuiſſe myſteriis

(*a*) Baron. not. ad Martyrolog. Rom. 19. Maij Benedictus XIV. de Sacrificio Miſſæ ſect. 1. cap. 2. §. 1.

riis & cum ſuis primo Synaxes habuiſſe; & univerſim de cæteris Apoſtolis Sacræ litteræ adfirmant, quod frangerent *circa Domos* panem, ſcilicet Euchariſtiam (*a*). Fuiſſe vero ſemper omnes ædes, in quibus Apoſtoli immaculatam hoſtiam obtulerunt, a rerum domeſticarum uſu liberas temporum illorum conditio non patitur ut concedamus. Non enim omnes hæ domus, in quas ſe recipiebant cum Apoſtoli, tum alii ab Ethnicis divexati, idoneæ erant, ut in iis extruerentur Oratoria, aut cubicula conſecrarentur; nec in hiis diu manere poterant, ſed mutare loca ſæpius compellebantur. Ubi igitur, & quomodo potuerunt privatas in ædes conveniebant, quas recens ad Chriſtum converſorum pietas exhibebat, ibique aris, quæ amoveri ad libitum poſſent, inlatis, Euchariſticum celebravere ſacrificium. Hinc frequens primis illis temporibus Altarium Portatilium, ſeu viaticorum uſus. Quod cum vir clariſſimus Joannes Baptiſta Gatticus (*b*) magna in luce jam collocaverit, non videtur neceſſarium ut res eadem pluribus adferatur. Animadvertere ſolum abs re non

(*a*) Act. Apoſt. cap. XX. v. 42. & 46.

(*b*) De Orator. Domeſticis cap. 4. §. 3. & diſſert. *de uſu altaris portatilis*.

non fuerit, quod quemadmodum Apoſtoli in Cœnaculum, ſive ὑπερῷον, quod erat in ſuperioribus ædium partibus, Synaxis cauſſa aſcendebant, (*a*) ita Chriſtiani plerumque ad eorumdem imitationem in ſublimioribus privatarum ædium partibus ſuos cœtus habuerunt. Teſtis hujuſce rei etiam Lucianus in Dialogo *Philopatridos*, in quo procul dubio primitivorum Synaxes, & myſteria irridentur Chriſtianorum. In eo igitur Critias teſtatur ſe in locum orationis, ad quem ſcalis perveniebatur, deductum fuiſſe. *Sermone autem longius producto* inquit (*b*) *perſuadet tandem miſero mihi, ut ad præſtigiatores homines accederem, & in infauſtum, quod ajunt, diem inciderem: dixerat enim omnia myſteria ab illis ſe eſſe edoctum. Tranſimus igitur portaſque ferreas, pavimentaque ænea, multiſque per orbem ſuperatis ſcalis, in aurea tecta adſcendimus, qualia Menelai quondam*

(*a*) Paullus in 3. domus Cœnaculo Euchariſtiam celebravit. Atque in alto etiam conſtitutum fuiſſe Hieroſolymitanum Cœnaculum, in quo Apoſtoli viſibiliter receperunt Spiritum Sanctum, & in quo poſtea primo diviniis myſteriis celebrandis dederunt operam, colligitur ex Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi 16., in qua illud vocat *Superiorem Eccleſiam*.

(*b*) pag. 611. num. 23. tom. 3. Opp. Luciani edit. Geſneri Amſt. ann. 1743.

dam fuiſſe Homero credimus. Ibi ergo oculis luſtro omnia, quæ ille ex Inſula juvenis, video autem non Helenam ego quidem, ſed homines vultibus in terram pronis, pallidiſque. Et in Actis S. Pontii Martyris a Valerio conſcriptis (*a*) Chriſtiani diluculo, atque in vigilia matutina hymnos concinnentes deſcribuntur in loco excelſo, ad quem accedentes & pulſantes januam e feneſtra ſpectabantur. Ac præſertim dicitur: *cumque aſcendiſſent* (gentiles) *in cœnaculum, & vidiſſent eos ſancta celebrare myſteria, declinaverunt in locum, quoad uſque dominicum conſummaſſent Officium.*

Erant igitur cubicula, in quibus Synaxes habebantur, ceu totidem cœnacula, quæ ſternere mos erat in ſupremis ædium ordinibus, ut Feſtus tradit. Cur his in locis, cum Chriſtiani poſſent, Synaxes haberent, ratio percommoda adferri poteſt, quod nimirum ea pars domus ſublimior, ob idque magis ab urbanis tumultibus ſeparata, accommodatior illis videretur, ut in ea ſacris vacarent (*b*). Qua etiam in re Ethnicis pleriſque fuerunt Chriſtiani ſapientiores; nam illi

(*a*) Apud Baluzium tom. I. miſcell. pag. 29.

(*b*) Alias rationes adfert Antonellus in diſſert. de *Titulis* S. Evariſti &c. num. XV. pagin. 66. quas vide.

illi ut exemplis oſtendit Cluverius (*a*) templa & lucos in montium cacuminibus conſtruxerunt, illucque orandi cauſſa conſcendebant, ut eo propius ad ipſos accederent, ne forte Diis longe remotis preces inaniter funderent, ac extra Deorum conſpectum ipſi conſtituti nullam inde mercedem extorquerent teſte Luciano (*b*).

(*a*) German. Antiq. lib. 1, pag. 238.
(*b*) Dial. de Dea Syriæ.

CA-

CAPUT VII.

Aliquot earum ædium in Eccleſias inde, Romæ præſertim converſæ ſunt. At ab his exturbati Chriſtiani alias privatas ædes, uti conditio, & opportunitas ferebant, pro ſumtione Euchariſtiæ delegerunt.

EArum porro ædium & Eccleſiarum, in quibus Apoſtoli ſacris operati ſunt, ipſi iidem alicubi meminerunt. Ad Corinthios ſcribebat Paullus (*a*) *Salutant vos in Domino multum Aquila & Priſcilla cum Domeſtica ſua Eccleſia* & ad Coloſſenſes (*b*) *Salutate fratres qui ſunt Laodiciæ & Nympham, & quæ in domo ejus eſt, Eccleſiam*, ac tandem ad Philemonem *Paullus & Timotheus Philemoni & Appiæ & Archippo, & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt*. Hæ atque aliæ domus, ſacrorumque cœtuum ædiculæ quas Chriſtiani ſanctiores pro habendis Synaxibus concedebant, in totidem inde Eccleſias

(*a*) I. v. 16.
(*b*) cap. 4.

ſias evaſerunt , adſignantibus Romanis Pontificibus presbyteros ſingulis, qui offerrent. Rem hanc quoad Romanam adtinet Eccleſiam egregie explicat Blanchinius (*a*). Ubi enim de S. Evariſto legitur, *Hic titulos in Urbe Roma diviſit Presbyteris*, commentatur, quos, inquies, titulos? *Domeſticas ſcilicet Eccleſias* hoſpitum & diſcipulorum Petri & Paulli, quas ad conventus fidelium & Synaxes peragendas concedebant: puta domeſticam Eccleſiam Priſcæ & Aquilæ, quam S. Paullus memorat in epiſt. ad Romanos cap. XVI. 3. Romanum titulum etiam nunc celebrem in Aventino, Lucinæ Senioris, Apoſtolorum pariter hoſpitæ, hodie titulum primi Presbyteri Cardinalis, Pudentis in Vico Patricio, ubi Paullum baptizaſſe veterum monimenta teſtantur, Clementis ad radices Cælii, in paterna Pontificis illius domo, ut ferunt, qui Lino ſucceſſit; Claudiæ quoque ædes, & illorum, qui de domo Cæſaris erant, ab Apoſtolo indicati, dum ex Urbe ad Philippenſes ſcriberet. His adde domos militum Romanorum, ſive eorum qui in Palæſtina ad fidem converſi cum Centurione Evangelico cohortis Italicæ baptizati fuerant a Petro Apoſtolo, & ſub-

(*a*) In notis ad Vit. RR. PP. in Evariſto tom. 2. pag. 77.

ſubinde revocati in Italiam ſua cum legione ſub Principibus Cajo & Claudio; ſive etiam Romæ Antiochiæ, & in Aſia Minori, in Græcia, Apoſtolorum Petri & Paulli, Barnabæ prædicatione Chriſtum profeſſi, & in urbem reverſi ſuis cum doctoribus hic morabantur. Adde quos indicat Florentinius in adnotationibus ad ſuum Martyrologium Calendis Auguſti, ex teſtimonio Ambroſii, Theodoreti, Theophilacti, Oecumenii, Primaſii. Recenſe Judæos Romæ a Paullo fidem edoctos per biennium in ſuo conducto, ut habemus Actor. XXVIII. ubi Diaconiam S. Mariæ in Via lata poſtmodum erectam Scriptorum conſenſus tradit: nec non reliquos, qui poſt Hieroſolymorum excidium a Tito Romam perducti, vel ſub Nerva Principe revocati, domeſticas Eccleſias in Tranſtiberina Regione fidelibus aperiebant. Denique addenda nobilium Romanorum domicilia, qui equeſtri loco nati, aut etiam ex Ordine Senatorio ad Chriſtum vocati (quandoquidem & Clemens ſub Domitiano Chriſti martyr effectus eſt) inter fratres cenſebantur ſub conſequutis Principibus Nerva & Traiano. Ex quibus concludit Blanchinius Romanam Eccleſiam mirum in modum auctam ſub Evariſti Pontificatu, ſatis abundaſſe domibus civium poſitis in unaquaque Urbis regione; ac propterea e re crediſſe Pontificem concedi poſſe ſingulis Presbyteris do-

domos, ſive titulos ſingulis in regionibus ſitos, quo facilior eſſet fidelium conventus ad Synaxes peragendas, & ad reliqua Chriſtiana ſacra frequentanda; eodem plane ritu atque exemplo, quo Hieroſolymis Apoſtoli poſt appoſita die una animarum tria millia, ut Actor. II. legimus, frangebant circa domos panem; nec ceſſabant in Templo & circa domos docere & evangelizare Chriſtum Jeſum.

Has privatas in ædes, quæ veterum manifeſtant originem Eccleſiarum, ceu deſtinatas ad ſacros conventus, acceſſere Chriſtiani quoadusque prohibiti non ſunt perſequutionibus Ethnicorum. His jam vigentibus cum tutum non erat ad illas concedere, tum non ſemel Imperatorum edictis ſolo æquabantur. Itaque conveniebant quo poterant. S. Juſtinus a Q. Junio Ruſtico Præfecto interrogatus, quem in locum Chriſtiani convenirent, reſpondit, (a) *Eo unumquemque convenire quo vellet ac poſſet. An* inquit, *exiſtimas omnes nos in eumdem locum convenire ſolitos? Minime res ita ſe habet; quoniam Chriſtianorum Deus loco non circumſcribitur: ſed cum inviſibilis ſit, cœlum & terram implet, atque ubique a fidelibus adoratur, & ejus*

(a) Act. S. Juſtini apud Ruinart. & pag. 634. Opp. ejuſd. Juſtini, edit. 1747.

ejus gloria collaudatur. Tunc Præfectus: age, inquit, dicas quem in locum conveniatis, & diſcipulos tuos congreges. Reſpondit Juſtinus *ego prope domum Martini cujuſdam ad Balneum, cognomento Timiotinum, hactenus manſi*. In hac ergo domo, ut Juſtini ejuſdem operum Maurinus editor animamdvertit, myſteria celebrari ſolebant, idque græcæ Eccleſiæ ritu & lingua, utpote ab ipſo Juſtino, ut veriſimile eſt, celebrata. Atque id cauſſæ eſſe putat, cur liturgia a S. Martyre expoſita non Romanæ, ſed ei, quæ eſt in Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſimilis ſit. (*a*) Quum igitur vigerent perſecutiones, nec in ædes

(*a*) Curaſſe Chriſtianos, ut Synaxeos loca prope Balnea haberent, quod his antequam ſacra facerent, uterentur, hoc etiam Juſtini teſtimonium videtur confirmare. Summo ſane in honore balnea apud illos fuiſſe, innuunt Concilia, cœtus ſacri, & alia venerandæ religionis opera a Romanis Pontificibus, & Epiſcopis in iisdem habita, ut erudite probat Paciaudius cap. X. pag. 99. & ſeqq. Commentarii *De Sacris Chriſtianorum Balneis*. Celebres Romæ maxime fuerunt Thermæ Novati ad Viminalem, quæ & *Timotinæ*, ab illius fratre Timotheo, dicebantur. Has delegiſſe Pium I., ut inibi quotquot ejurata ſuperſtitione, Chriſtum confitebantur, ſacro fonte regigneret, conſecrato pane reficeret, & in ſuſcepta fide confirmaret Anaſtaſius in illius vita perhibet; quam illuſtravit Blanchinius lib. cit. tom. 2. ſect. XII. Balneorum hujuſmodi mentionem facit Anaſtaſius in

ædes conſecratas ſe recipere Chriſtiani poſſent, eo conveniebant quo vellent, ac locorum temporumque anguſtiæ paterentur. Credebant ſcilicet Deum ſuarum conſcientiarum & affectuum adprime conſcium, Sacrificia etiam eorum extra ſacras ædes celebrata grata habiturum. Paſſim hinc & frequenter in ſinceris Martyrum actis legas ſimiles collectas, ſive Synaxes in privatis domibus extemporanee veluti habitas & congregatas. Fuere enim Chriſtiani tunc temporis maxime ſolliciti ne eorum fratres tecto carerent, & ſpiritualibus alimentis. Hinc libenter domos ſuas pro Synaxibus offerebant. De S. Cyriaca ejuſdem acta teſtantur. *Cum fervor perſecutionis inſtaret, domum ſuam, quæ erat in Cælio monte, militibus Chriſti ad conveniendum, & Sacramentum Domini conficiendum obtulit, nullo timore preterrita.* Sed Theodoti Ancyrani in Galatia martyris inſigne, nec ommittendum facinus eſt, a Nilo ejuſdem ſocio memoriæ proditum: (*a*) *juſſerat*, inquit, *miniſter Dia-*

in Damaſo, Innocentio I. Hilaro & Symmacho, ac Euſebius ex Epiſtola MM. Lugdunenſium & Viennenſium.

(*a*) Acta hujuſce M. a Nilo deſcripta Græce & latine edidit Ruinart. in ſincer. Actis Mm. pag. 298. Edit. Veron. Num. VII.

Diaboli Theotecnus omnem humani victus ſpeciem idolothytis inquinari, panem ſcilicet ac vinum, ut nec Deo quidem omnium Domino poſſet oblatio munda exhiberi, & publicitus conſtituerat Sacerdotes erroris, qui id curarent. Oportebat autem, ut norunt omnes, offerre Deo immaculata munera: moleſtiſſimo huic commento celerrime remedium adinvenit Martyr vehementer induſtrius in cultu virtutis: quidquid enim prius emerat a Chriſtianis, iiſdem revendebat ad neceſſitatem faciendæ Oblationis. Fuit ergo caupona ejus fidelibus, quod olim Arca Noe erat ſalvatis per eam tempore diluvii: nam ſicut tunc cum per univerſum orbem graſſaretur exterminium nullus erat modus inveniendæ ſalutis, ſi quis vel tantillum recederet ab arca, eo quod omnis terra eſſet inundata: ſic in noſtra Civitate nullus poterat ſalvari Chriſtianus extra domicilium Martyris. Converſa ergo erat taberna in ædem orationis, in hoſpitium peregrinorum, in altare Sacerdotum ad offerenda ſacra dona; cum illuc omnes confugerent, ſicut naufragium patientes ad ſcapham: hæc erant juſto cauponariæ profeſſionis lucra, hi negotiationis ſuæ proventus Martyri: notumque habebant pietatis cultores cauponam iſtam periclitantibus portum commodiſſimum.

Eodem animi affectu Collectas celebrarunt multi ii Chriſtiani, qui in Africa ſub Anulino Procon-

conſule vitam pro Chriſto finivere. Nam quum Diocletianus cœtus ſacraſque Synaxes prohibuiſſet, illi ne Sacramentis vacui invenirentur, cum pro fide eſſent dimicaturi, in domibus amicorum cum Presbyteris Synaxes agebant (*a*). *Namque in Civitate Abitinenſi in domo Octavii Felicis, cum bellica caneret tuba, Dominica ſigna glorioſi Martyres erexerunt, ibique celebrantes ex more Dominicum a Coloniæ magiſtratibus atque ab ipſo ſtationario milite apprehenduntur Saturninus Presbyter cum filiis quatuor, id eſt Saturnino juniore, & Felice lectoribus, Maria ſanctimoniali, Ilarione infante* &c. cum Dativo Senatore, alio Felice, Emerito, Ampelio, Rogatiano, Quinto, Maximiano, Thelica, Rogato Januario, Caſſiano, Victoriano, Vincentio, Cæciliano, Reſtituta, & ceteris cum mulieribus fere numero decem & ſeptem. Qui omnes ducti Carthaginem, atque in carceres conjecti, interrogatique utrum collectas, ſeu Synaxes egiſſent, liberrime reſpondebant: *Dominicum cum fratribus congrua devotione* celebravimus, *quia non*

(*a*) Acta SS. MM. Saturnini Presb. Dativi &c. apud Baluzium tom. I. miſcell. pag. 14. edit. Lucenſis. Porro *celebrare Dominicum* ſignificare Euchariſticum Sacrificium nota res eſt, ex Cypriano præſertim Tract. de Opere & Eleemoſyn. & ep. 63.

non poteſt intermitti Dominicum. Ut vero demonſtrarent legitimas fuiſſe eorumdem Synaxes, iisdem presbyteros præfuiſſe Præfecto perſuadebant. Quare illorum unus de congregationis auctore, & antiſtite poſtulatus in hæc verba reſpondit. *Saturninus Presbyter & omnes. O Martyrem primatum omnibus dantem! Non enim Presbyterum fratribus prætulit, ſed Presbytero fratres confeſſionis conſortio copulavit. Quærente igitur Proconſule Saturninum, oſtendit non quod illum prodiderit, quem ſecum adverſus Diabolum pariter dimicare cernebat, ſed ut illi panderet integre ſe celebraſſe collectam, quando cum ipſis etiam Presbyter fuerat*. Uſque adeo illis perſuaſum erat Synaxes, & ſacrificium Euchariſticum legitime haud poſſe celebrari, niſi presbyter adfuiſſet. Fortitudine iſtorum Martyrum, & amore in ſacro-ſanctam Euchariſtiam alii excitati, ad eorum exemplum Synaxes continuarunt, nulla ſuppliciorum ac pœnarum habita ratione, ut eadem Acta fidem faciunt (*a*). *Poſtquam igitur ſupradictos Martyres Chriſti exoptatus carcer excepit, Confeſſores, qui priores illic detruſi fuerant, victricibus palmis triumphales dexteras venientibus adjunge-*

(*a*) Pag. 17. cit. edit.

gebant. Veniebant præterea ad eumdem locum, & ex diverſis Provinciæ partibus alii quoque quamplurimi Confeſſores; inter quos erant Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi cæterique Clerici, qui legem Domini aſſerentes Collectam Dominicumque conſtanter & fortiter celebrabant, quique Scripturas Dominicas divinaque Teſtamenta de flamma atque de incendio conſervantes, ſe ipſos dictis ignibus cruciatibuſque diverſis, machabaeico more pro divinis legibus obtulerunt. Ita vel ſolo æquatis ſacris ædiculis, vel a cœtibus prohibiti Chriſtiani privatis in locis Synaxes agitabant; eodem plane modo, quo fideles ammiſſis Eccleſiis ſub Genſerico rege (*a*) *triſtitia & mœrore confecti, cœperunt qualiter poterant, & ubi poterant, divina celebrare myſteria.* Erigebant proinde aras in cubiculis, in agris, in ſolitudinibus, in navibus, in diverſoriis, in hortis, in carceribus, in cæmeteriis, in balneis, uti neceſſitas temporumque conditio flagitabat. Hinc de privata Euchariſtiæ Oblatione accuſatus ab Neſtorio Cyrillus ita reſpondit (*b*) ὅτι καὶ ἡμῶν

(*a*) Victor Vitenſis lib. 1. cap. 5. Perſecut. Vandal. pag. 6. edit. 1731.

(*b*) Epiſt. IX. ſeu Commonit. ad Poſidonium apud Coutantium tom. I. epiſt. RR. PP. pag. 1094. edit. Pariſ. 1721.

ἡμῶν ἕκαστος ἐν καιρῷ καὶ χρείαις τοῦτο ποιεῖ. *Id facit unuſquiſque noſtrum cum tempus & neceſſitas flagitat.* Hinc egreſſus Carthagine Cyprianus morabatur in hortis (*a*) & ſacris myſteriis operam dabat.

(*a*) Horum hortorum meminit non ſemel Cyprianus, & Pontius in ejuſdem vit. num. XV. Ipſe præſertim Epiſt. LXXXIII. pag. 342. ad Clerum & plebem e ſeceſſu ſuo ait: *Cum perlatum ad nos eſſet, fratres chariſſimi, Commentarios eſſe miſſos, qui me Uticam perducerent, & conſilio cariſſimorum perſuaſum eſſet, ut de Hortis noſtris interim ſecederemus, juſta interveniente cauſſa conſenſi &c.*

CA-

CAPUT VIII.

Qui divites inter illos erant, domos ſuas pro Synaxibus libenter concedebant. Ex his veterum Titulorum origo conjicitur.

HAs porro ædes, qui capaces habebant Chriſtiani, denegare fratribus ſuis crimen rebantur. Anulino Proconſuli Emeritum increpanti, quod domum ſuam cæteros pro celebranda collecta ingredi permiſiſſet, ille reſpondit *fratres mei ſunt & non poteram illos prohibere, quoniam ſine Dominico eſſe non poſſumus.* Tanta vero erat quorumdam divitum Chriſtianorum caritas & amor, ut multis furore perſequutionum adflictis fugatiſque, ac ſummas ad miſerias redactis domos ædium ſuarum partem concederent pro Synaxi, & neceſſaria victui ſubminiſtrarent. In antiqua ſane, ac pervetuſta Epiſtola Pii Papæ I. ad Juſtum Viennenſem præclarum hujuſce rei teſtimonium habemus, acute & recte, ita uti ego arbitror, a Jacobo Lader-

chio (*a*) inluſtratum, & lucem afferens pleriſque a nobis jam dictis. Ita igitur ad Juſtum Pius ſcribebat: *antequam Roma exiſſes, Soror noſtra Euprepia (ſicut bene recordaris) Titulum domus ſuæ pauperibus aſſignavit; ubi nunc cum pauperibus noſtris commorantes miſſas agimus.* (*b*) Ex quibus imprimis conſtat errare eos, qui perſuadere adnituntur, antiquos Titulos quid diverſum a locis, in quibus ſacra fierent, extitiſſe; cum ex Pii epiſtola adpareat ipſis in Titulis, in quibus Chriſtiani divitum caritate commorabantur, loca fuiſſe atque cubicula in quibus Sanctæ Miſſæ Sacrificium celebraretur. Jure proinde ac merito Laderchius eodem innixus fundamento nec Baronio, nec Gretzero aut Albitio aſſentitur, qui Titulos Eccleſias dumtaxat fuiſſe exiſtimarunt, & Florentinium rejicit, qui Titulos nil niſi ædes ad excipiendos fideles pauperes ab Eccleſiis ſejunctas arbitratus eſt. Opinatur inde

ha.d

(*a*) Diſſert. Hiſt. de Baſilicis SS. Marcellini Presb. & Petri Exorciſtæ &c. P. III. cap. IV. pag. 224. & ſeq.

(*b*) Epiſtolæ hujus authentiam adverſus Tillemontium & alios tuetur docte & erudite Juſtus Fontaninus cap. IV. *Hiſtoriæ Litterar. Aquilej.* pag. 82. & ſeqq. Id quod mihi indicavit vir ſummus P. Jo: Bernardus Maria de Rubeis O. P.

haud aliud fuiſſe Titulos quam prædivitum quorumdam Chriſtianorum domos, in quibus fideles congregarentur ad ſacra facienda, & ſi egeſtate premerentur ad victui neceſſaria recipienda & in quibus demum hoſpitio exciperentur, cum propriis carerent domibus, aut ab his ſævientibus perſecutoribus aufugiſſent. Quæ ſcilicet domus nomine & *titulo* eorumdem divitum notarentur, non vero Sanctorum aut *Crucis*, ut ipſæ gentiles laterent, illaſque eodem tempore Chriſtiani egentes agnoſcerent; unde & hoſpitia miſeris, & ceu Eccleſiæ Chriſtianis evadebant, quia nimirum in illis & fovebantur hoſpitio corpora, & verbo Dei ac ſacris myſteriis animæ ſaginabantur. Eodem ſiquidem modo quo nunc in infidelium, & hæreticorum quibuſdam regionibus ſe gerunt Orthodoxi, primos quoque Chriſtianos ſe habuiſſe credendum eſt. Sicut enim illis Eccleſias publice extruere, eaſque manifeſto ſalutari *Crucis* vexillo inſignire vetitum, uti etiam hoſpitalibus ædibus publice perfrui prohibitum eſt, qui tamen in ſingularibus, & præcipuis quibuſdam domibus occultas Eccleſias habere, in iiſque fideles pauperes & advenas hoſpitio excipere haud prohibentur, & hæ domus non ab Eccleſiis, quas intrinſecus habent, neque ab advenis & pauperibus, qui in ipſis immorantur, neque demum a *Crucis titulo*, ſed

a Dominis & poſſeſſoribus nomen accipiunt; ita ſane priſcis accidiſſe temporibus non irrationabiliter exiſtimamus; non fuiſſe ſcilicet Titulos niſi occultas Eccleſias in domibus, & domus ſimul & Chriſtianorum Eccleſias, in quibus & ſacra peragerentur, & hoſpitio exciperentur profugi ac pauperes Chriſtiani, quibuſque non aliunde quam a *Dominis* & poſſeſſoribus *Titulus* & nomen apponeretur. Quare nimis abjecte de pietate & prudentia veterum Chriſtianorum judicant (*a*) qui volunt Titulos a præfixo domibus Crucis *titulo* denominatos fuiſſe. Quamvis enim compertum ſit Crucis ſimulacrum ex auro, argento, ligno, aliave materia conflatum, collo ſuſpenſum Chriſtianos priſcos geſtaviſſe (*b*) & domi etiam adoraſſe, tamen idem ſignum non niſi reddita a Conſtantino pace domorum liminibus præfixerunt. Hac ratione explicanda reor verba vetuſti Auctoris Commentariorum in Epiſto-

(*a*) Vide Epiſt. II. Giſberti Cuperi ad Paullum Voetium, quæ extat tom. 2. Opp. Lactantii edit. Lengletii, in qua de artibus agit, quibus Ethnici Chriſtianos inquiſiverunt.

(*b*) Oreſtes miles ſub Diocletiano interemtus eſt, quod ex cruce aurea collo ſuſpenſa agnitus Chriſtianus fuiſſet. Vide Surium tom. 6. ad diem 16. Decembris in vita S. Euſtratii, & de S. Macrina Gregorium Nyſſenum.

ſtolam Paulli ad Coloſſenſes, qui Sancto Ambroſio aliquando adſcripti fuere. Nam ubi ait Apoſtolus *Salutate fratres qui ſunt Laodiceæ & Nympham, & quæ in domo ejus eſt, Eccleſiam*, hæc addit de hac ſancti exempli muliere: *tam enim devota videtur fuiſſe, ut omnis domus ejus ſigno titulata eſſet Crucis*. Gloria hæc Conſtantino, nonnuliiſque aliis Chriſtianis principibus reſervabatur. Revera etiam ſub Theodoſio Juniore, cujus tempore fortaſſe commentarii illi Ambroſio adjudicati fuere ſcripti, quæ Pagani occupaverant Crucis vexillo expiata ſunt. En Theodoſii Edictum: (*a*) *Omnibus ſceleratæ mentis paganæ execrandis hoſtiarum immolationibus, damnandiſque Sacrificiis, cæteriſque antiquarum ſanctionum auctoritate prohibitis interdicimus: cunctaque eorum fana, templa, delubra, ſiqua etiam nunc reſtant integra, præcepto Magiſtratuum deſtrui, conlocationeque venerandæ Chriſtianæ Religionis ſigno expiari præcipimus*. Quæ igitur Auctor ille, de Nympha, cujus domus omnis *ſigno titulata erat Crucis*, expoſuit, aut de crucibus in internis parietibus ædium effictis ſunt explicanda, aut adſerendum Nympham tanta caritate in pauperes Chriſtianos flagraſ-

ſe,

(*a*) Cod. Theod.

ſe, ut amore Crucifixi eoſdem domi colligeret & ſpiritualibus juxta ac corporalibus paſceret alimentis; quem ad modum veterum Titulorum originem & cauſſam ex Laderchio explicavimus. Cujus etiam opinio confirmari ex ſacris litteris poteſt. Dum enim præcipit Apoſtolus ut ii ſalutentur qui *ſunt ex Ariſtobuli domo*; *qui ſunt ex Narciſi domo & domeſticam Eccleſiam* Priſcæ & Aquilæ, procul dubio indicat manſiſſe in illorum ædibus fideles, & ſacra peregiſſe; illaſque Chriſtianis pauperibus & hoſpitii & Eccleſiæ vices præſtitiſſe; unde de Aquila & Priſca, ſcribebat Theodoretus *domum ſuam Eccleſiam fecerunt, collectionem fidelium eam facientes, ubi divina myſteria intus promte & alacriter peragebant*. Idem Paullus in Epiſtola ad Romanos *Salutat vos*, inquit, *Cajus hoſpes meus, & tota Eccleſia*. Quidnam ſibi hoc vult *tota Eccleſia*? poſtulat Fogginius (*a*) niſi fideles illi omnes, qui eadem Caji Domo orationi & divinæ rei intereſſe ſolebant. Græcus ſane habet *Cajus hoſpes meus & totius Eccleſiæ*, Ἐκκλησίας ὅλης. Animadvertere etiam placet domos iſtas prædivitum Chriſtianorum, in quibus pauperes &

(*a*) *De Romano D. Petri Itinere* &c. Exerc. XIII. pag. 283.

& cibo & Euchariſtia reficiebantur, frequentari etiam potuiſſe, & ſæpe ſine diſcrimine, ab aliis Chriſtianis tenuis fortunæ; nam quum pervulgatum eſſet qui ad eas conveniebant, miſeros & pauperes eſſe, & ſtipis obtinendæ cauſſa ad illas accedere, quid cætera in his ageretur, quum nondum æſtus perſequutionum efferveſceret, fortaſſe non ita frequenter Ethnici inquiſivere. Neque aliis Euchariſtiæ avidis & Synaxis perſtudioſis ignorari hæ domus poterant. Frequens hinc ad eas acceſſus, & commoratio miſerorum ſignum haud dubium ſuppeditare iis poterat ſacris qui vellent intereſſe. Quod quidem clarius & inluſtrius profligatis Paganis contigit. Quum enim tunc ſplendido perſpicuoque Crucis vivificæ ſigno ædes notare conceſſum eſſet, verificari poteſt, ſi hiſce de temporibus ſermo ſit, quod de Titulis Baronius & alii cogitarunt; a rebus nimirum fiſcalibus hanc nomenclaturam acceptam eſſe: nam ſicuti domus reſque omnes ad Imperatorum fiſcum pertinentes appenſo velo, immagine Principis, vel tabella diſtinguebantur (*a*) ita Eccleſiæ ædeſque Chriſtianorum Crucis ſigno diſtinctæ, ad Chriſtum, ejuſque cultores ſpectare cognoſcebantur.

CA-

(*a*) l. *Si quando* cod. de Bonor. vacat. lib. 2. Vide Henricum Valeſium in notis ad Ammiani Marcellini. l. XXIX. c. 2. p. 557.

CAPUT IX.

Chriſtianos veteres numeraſſe pecunias militibus, aliisque miniſtris Præſidum Ethnicorum, ut Synaxes agere poſſent, ex Tertulliano demonſtratur.

SUmmo propterea deſiderio habendarum Synaxeων Chriſtiani cum agerentur, ſæpe contingebat, ut numerata pecunia traditisque muneribus Ethnicis militibus, ad quos ne cœtus haberent, obſervare pertinebat, clam conveniendi adſequerentur facultatem; quamquam nocturnæ quæque coitiones ſeveriſſimis legibus & ſuppliciis punirentur. Patet quod dicimus ex integro Tertulliani *de fuga in perſecutione* libro, in quo non eos tantum inſectatur, qui oblata pecunia ſe ſe ab inquiſitione in cauſſa fidei liberabant, ſed eos quoque montaniſtico furore reprehendit, qui ſoluto pretio Synaxes celebrabant. *Et Dominus quidem* ajebat (*a*) *illum redemit ab Angelis munditenentibus poteſtatibus, a ſpiritalibus nequitiæ, a tenebris hujus œvi, a judicio*

(*a*) Lib. cit. cap. X. pag. 542. edit. 1744. & cap. XIX. pag. 543.

dicio æterno, a morte perpetua. Tu autem pro eo paciſceris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo præſide ſub tunica & ſinu (quod dicunt) ut furtivo, quem coram toto mundo Chriſtus emit, immo & manumiſit . . . . . . Neſcio dolendum an erubeſcendum ſit, cum in matricibus Beneficiariorum & Curioſorum inter tabernarios & lanios, & fures balnearum, & aleones & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur . . . . . ſed quomodo colligemus, inquis, quomodo dominica ſolemnia celebrabimus? utique quomodo & Apoſtoli, fide non pecunia tuti, quæ fides ſi montem transferre poteſt, multo magis militem. Eſto ſapientia, non præmio cautus. Neque enim ſtatim & a populo eris tutus, ſi officia militaria redemeris. Una ergo tibi & fides & ſapientia, ad tutelam opus eſt: quibus non adhibitis & redemptionem tuam potes perdere, adhibitis autem redemptionem deſiderare. Poſtremo ſi colligere interdiu non potes habes noctem luce Chriſti luminoſam adverſus eam. Non potes diſcurrere per ſingulos ſit tibi & in tribus Eccleſia. Melius eſt turbas aliquando non videas quam addicas; nempe tributariæ ſervituti, ut explicat Rigaltius, qui hactenus ex Septimio recitata eruditiſſime illuſtrat. Etenim *Beneficiarii* dicebantur milites, beneficio principis adſumti ad officia, ſeu miniſteria certa. Itaque apparebant

Prin-

dotes prædarentur, intercedente iniqua pactione eaſdem Beneficiariis & Curioſis prodebant. Sed quamquam Chriſtiani numerata pecunia facultatem celebrandorum cœtuum ad tempus conſequerentur, id tamen etiam aliquando fuiſſe conſecutos ex ſola conniventia aut humanitate præſidum ethnicorum a vero non videtur alienum. Fuerunt enim ex his aliqui mitiores in Chriſtianos, ut Cincius Severus, Veſpronius Candidus, Aper & alii, quos memorat Tertullianus (*a*); a quo etiam diſcimus (*b*) non ſemel ethnicos ægre tuliſſe ſupplicia & pœnas, quibus Chriſtiani excruciabantur. Sed non diu hæc clementia, & pietas duravere. Nam compertis illis Beneficiariorum & Curioſorum pactionibus, detectaque aliquot conniventia judicum, novæ ſeverioreſque leges ſunt editæ, ne ſimili impoſterum Chriſtiani indulgentia fruerentur. Lactantius poſteaquam Diocletiani edictum, Chriſtianos horumque conventicula ſubſiſtere permittentis, commemoraſſet, hæc de Maximino priora edicta irrita faciente memoriæ prodidit (*c*). *In primis in-*

(*a*) Lib. ad Scapulam cap. 4.
(*b*) In Scorpiaco cap. 1.
(*c*) De Mort. Perſecut. cap. XXXVI. pag. 8. ed. Baluzii tom. 1. Miſcell.

indulgentiam Chriſtianis communi tutelo datam tollit, ſubornatis legationibus Civitatum, quæ peterent, ne intra Civitates ſuas Chriſtianis conventicula exſtruere liceret, ut quaſi coactus & impulſus facere videretur, quod erat ſponte facturus. Novo more Sacerdotes maximos per ſingulas Civitates ſingulos ex primoribus fecit, qui & ſacrificia per omnes Deos ſuos quotidie facerent, & veterum Sacerdotum officio ſubnixi darent operam, ut Chriſtiani neque fabricarent, neque publice aut privatim colerent, ſed comprehenſos ſuo jure ad ſacrificia cogerent, vel judicibus offerrent. Conſonant his legibus præmia iis decreta, qui Chriſtianos ab aliis abſconditos detuliſſent: *Delator autem tanti criminis*, inquiunt Maximianus, Hadrianus, & Antoninus (*a*) *ex ærario publico quadringentorum denariorum conlatione gratuletur, ut omnes agnoſcant nec peccatum perire nec prœmium*. Quamquam ne facile detegerentur Chriſtiani non jam multorum cœtus hominum congregabant, ſed paucorum, varios quidem & ſingulares, qui effugerent diligentiam ethnicorum. Gregorius Nyſſenus geſta enarrans Gregorii Thaumaturgi, non potuiſſe ait propter

(*a*) Act. Paſs. S. Mariæ tom. I. Miſcell. pag. 2 Baluzii, qui conſulendus in notis.

pter perſequutionem in unum congregari Eccleſiæ fideles, *ſed per ſparſos tantum & exiguos manipulos*. Et Cyprianus ſuos adhortatus eſt, ne admirarentur, quum hac & illhac congregatos ſocios vidiſſent. *Nec quiſquam* aiebat (*a*) *fratres dilectiſſimi cum populum noſtrum fugari conſpexerit metu perſequutionis & ſpargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Epiſcopos audiat. Simul tunc omnes eſſe non poſſumus.* Fuiſſe vero ſingularibus, ac multiplicibus hiſce cœtibus præfectos ſingulos presbyteros, qui Synaxes dirigerent & offerrent, patet clariſſime ex Tertulliani Apologetico.

(*a*) Epiſt. 56.

CA-

CAPUT X.

De ſingulari odio Ethnicorum in Sacerdotes, deque horum cura, ne populi imminente perſecutione pane Euchariſtico deſtituerentur.

AT quia noverant Chriſtianæ fidei hoſtes non ſolere abſque presbyteris ab illius adſeclis agitari conventus, & Synaxes celebrari, propterea (*a*)

Cum pia Sacrilego quateretur Eccleſia bello
Præcipuæque illos populo depoſceret omni
Impietas, quorum pietas inſignior eſſet.

in Epiſcopos & Presbyteros præſertim illorum odia deferbuere, ut ſacrorum cœtuum præſides morte afficerent, & Chriſtianos cæteros illis privarent, a quibus, ut in ſuſcepta religione permanerent, ſedulo admonebantur. Euſebius, impiis

(*a*) S. Paulinus Natal. IV. S. Felicis.

piis enarratis Diocletiani juſſionibus, quibus Eccleſiæ ſolo æquatæ fuere, ſacri conſumti codices, & Chriſtianæ Religionis cultores omni prærogativa exſpoliati, tandem inquit (*a*) *Sed non multo poſt allatæ ſunt aliæ litteræ, quibus jubebatur, ut omnes ubique Eccleſiarum Antiſtites primum quidem conjicerentur in vincula; poſtea vero ad ſacrificandum modis omnibus cogerentur*. Refert poſtea quamplurimos (*b*) Palæſtinæ Antiſtites graviſſima ſupplicia alacriter toleraſſe; alios vero fractos animis ac debilitatos concidiſſe. Et de Maximino idem ſcribit (*c*) *Qui gravi odio ſuccenſus adverſus familiam Alexandri, in qua plerique erant Chriſtiani, perſecutione excitata, ſolos Eccleſiarum antiſtites, utpote Evangelicæ prædicationis auctores, interfici juſſit*. Legimus etiam ſæpiſſime in ſinceris martyrum actis Præfectos & Præſides quæſiviſſe a Chriſtianis, quinam illorum cœtibus præeſſent, unde eos exterminarent. Quod ægerrime Chriſtiani ferebant, nec ceſſabant Ethnicis exprobare: *Et quidem juſſu tuo*, ajebat Euſebius Romanus ad Con-

(*a*) H. E. ad calcem libri VII. pag. 456. Edit. Taur.
(*b*) De Martyr. Palæſ. c. I. pag. 360.
(*c*) H. E. lib. 6. c. 28. pag. 255.

Conſtantium, (*a*) *Chriſtianis occiſionem & necem præcepiſti inferri, maxime clericis & presbyteris & diaconibus*; perſuaſum ſcilicet Chriſtianis omnibus erat conſecrandi, offerendique Corporis & Sanguinis Chriſti poteſtatem penes ſolos ſacerdotes eſſe; nec unquam citra grave ſcelus eam ſibi poſſe, quavis etiam necceſſitate urgente, laicos vindicare. Hinc Victor Vitenſis perſequutionem Vandalicam enarrans, in qua Epiſcopi & Sacerdotes fuere in exſilium pulſi, ita Chriſtianorum populorumque luctum, & mœrorem (*b*) exponit: *Quibus nos miſeros relinquitis? qui baptizaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus coltaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? Qui nos ſolemnibus orationibus ſepulturi ſunt morientes? a quibus divinis ſacrificii ritus exhibendus eſt conſuetus?* Has & ſimiles plenas juſti doloris orationes e priſcorum Chriſtianorum animis Sacerdotum exſilia, & mulctationes expreſſere. Quas ut aliqua ratione compeſcerent epiſcopi, appropinquante perſequutione ſolebant populum primum congregare, & ad Chriſti fidem

(*a*) In Vita ejuſd. apud Baluzium l. cit. pag. 33
(*b*) Lib. 2.

dem retinendam vehementiſſime exhortari, ut eſt ab Valeſio obſervatum. (*a*) Infantes deinde ac catechumenos baptizabant, ne ſine baptiſmo ex hac vita decederent: tum ſingulis Euchariſtiam diſtribuebant, qua Domi longum ad tempus uterentur, cum incertum eſſet quamdiu duratura eſſet perſequutio. Horum conſuetudinem ſimulate imitatus eſt Dorotheus Epiſcopus Theſſalonicenſis, aliique Eutychianarum partium ſtudioſi. Cum enim audiviſſent Sedis Apoſtolicæ legatos Theſſallonicam adventuros, ut eos ad ſaniora conſilia perducerent *tanta Sacramenta confecerunt, ut caniſtra plena omnibus erogarent, ne imminente, ſicut dicebant, perſecutione, communicare non poſſent*; quemadmodum ad R. P. Hormiſdam Joannes Epiſcopus, & Epiphanius Presbyter ſcripſere (*b*). Sed ad propoſitum proprius accedo. Quum lex, & conſuetudo hujuſmodi conventuum imminente perſequutione celebrandorum vigeret, a Germano Dionyſius Alexandrinus accuſatus eſt, quod eos non habuiſſet, ſed fuga potius ſaluti ſuæ proſpexiſſet.

(*a*) In adnot. ad lib. VII. cap. XI. H. E. Euſebii pag. 294.

(*b*) In Indicul. ad Hormiſd. tom. 4. Conciliorum pag. 1523.

ſet. Cui propterea reſpondit Dionyſius ſe Æmiliani Præſidis juſſu ſubito abire compulſum ab illis habendis cœtibus fuiſſe prohibitum. *Statimque me*, ait (*a*), *tametſi ægrotantem proficiſci compulit, ne diei quidem unius dilatione conceſſa. Quomodo igitur conventus agere, aut non agere vacuum mihi deinceps fuit?* Sed vero nunquam Sacerdotes quamvis immani ſævitia quæſiti, & excruciati Chriſtiano populo defuerunt, cum Epiſcopi futuris iniquitatibus temporum proſpicientes novos presbyteros clam ordinarent. Euſebii tamen Samoſateni Epiſcopi Valentis juſſu in Thraciam deportati, inſolitum facinus Theodoretus, Cyri Epiſcopus, narrat (*b*). *Hic cum multas Eccleſias paſtoribus viduatas eſſe comperiſſet militarem habitum ſumens, & tiara capiti impoſita, Syriam, Phœnicen, ac Palæſtinam peragravit, presbyteros ordinans ac diaconos, aliosque Eccleſiæ ordines ſupplens*; nimirum, adnotante ad hæc Valeſio, extra ordinem, & præter ſacrorum canonum regulas hujuſmodi Euſebius geſſit, divino ſpiritu ad hoc impellente, ut Arianorum furori & immani odio reſiſte-

(*a*) Loc. mox cit. apud Euſeb.
(*b*) H. E. lib. IV. cap. XIII. pag. 144. edit. Taur.

ſteret. Habuit tamen aliorum exempla Epiſcoporum, quos ſequeretur. Qui ubi magno in diſcrimine res Eccleſiæ conſtitutas videbant, poſtpoſitis Canonibus Eccleſiæque regulis id præſtitere, in quod impellebantur, ut ſalvam & integram ſervarent fidem. Quare hiſce in periculis hæc apud eos regula plurimum valebat. *Salus Eccleſiæ ſuprema lex eſto*. Quæ tamen egiſſent nunquam, ſi laicos, ut ii volunt, quos infra nominabimus, extremis quibuſdam in caſibus & neceſſitatibus, Sacramenta altaris conficere poſſe crediḍiſſent. Pari ratione Epiſcopi aliquando permiſerunt ut Synaxes in ædibus nondum conſecratis haberentur, ne ſcilicet damna majora & tumultus exorirentur. Hac de re accuſatus Athanaſius ab Arianis ita reſpondit (*a*). *Quum igitur & Eccleſiæ parvæ paucæque eſſent, & magno tumultu poſceretur, ut in Eccleſia magna conventus celebrarentur, atque ibidem preces pro tua ſalute fierent, quod factum eſt; egoque reniterer adhortationibus ut rem aliquo uſque differrent, & potius quomodocumque liceret, etiam cum compreſſione & afflictione aliis in Eccleſiis cœtus agerent, mihi neutiquam obtempetatum eſt; quin potius urbe egredi parati erant,* ut

(*a*) Apolog. ad Conſt. Imperat.

ut in deſertis locis ac ſub dio conventus facerent, melius eſſe laborem itineris ferre dicentes, quam feſtum cum luctu celebrare; erat ſcilicet populus conſuetudinis memor, quæ furente perſequutione vigebat; ut nimirum apertas in planities Synaxeon cauſſa excurreret; idemque contigiſſe ſub Alexandro Athanaſii prædeceſſore in Eccleſia majore, Theonæ nuncupata, quæ ædificabatur; Treviris denique & Aquilejæ Athanaſius ipſe eodem loci teſtatus eſt.

CA-

CAPUT XI.

Epiſcopi & Presbyteri conjecti in carceres Synaxes ſacras & Sacrificia haud ommiſerunt.

SEd dum alacriter impigroque animo Epiſcopi, Presbyteri, cæterique eccleſiæ adminiſtri ſua munera obirent, & populum ſibi concreditum ad cuſtodiendam fidem ſalutaribus monitis quotidie exhortarentur, alii aut capite truncabantur, aut horrendos in carceres conjiciebantur, ut cæteris exemplo eſſent. Sed ne tum quidem ſacrorum ommiſſa celebratio myſteriorum. Sciebant nimirum panem euchariſticum nimis eſſe ſibi neceſſarium, quam ut illius oblatio aut ommitti deberet, aut poſſet. Manare ex eo omnem vim ac robur firmiſſime credebant, quo omnino indigebant, ut tyrannorum ſævitiam & artes eluderent. Celebre eſt Eccleſiaſtica in Hiſtoria Luciani Presbyteri Antiocheni factum; qui Nicomediæ in carcere cum diſcipulis ſacram celebravit Synaxin. *Cum jam*

jam moriturus eſſet, ait Philoſtorgius (*a*) *& tyranica vis nec Eccleſiæ nec Altaris copiam faceret: cumque vincula & plagæ ne quidem ut ſe commoveret, ei permitterent, ſupinum jacentem ſupra proprium pectus tremendum Sacrificium peregiſſe* ἐν τῷ οἰκείῳ στέρνῳ ἀνακείμενον τὴν φρικτὴν θυσίαν τελεσάμενον *& tum ipſum participaſſe, tum aliis ut de immaculato Sacrificio participarent, copiam feciſſe conſtat. Peractum eſt autem hoc Sacrificium in carcere* ἐτελέσθη δὲ ἡ ἱερουργία ἐν τῇ εἱρκτῇ *cum ſacer Chriſtianorum chorus, qui illum utpote morientem undique cingebat, Eccleſiæ ſpeciem referret, ac ſimul munimentum præſtaret, ne ab impiis ſpectari poſſent ea, quæ gerebantur.* Quæ exſcripſit Nicephorus (*b*) occultato Philoſtorgii nomine ut ſolet. Hæc die Theophaniæ ſacra contigere (*c*), ut noſcimus ex ejuſdem Martyris actis a Bollando recitatis ex

(*a*) H. E. lib. II. c. 13. pag. 437. edit. Taur.

(*b*) Lib. 8. cap. 31.

(*c*) An heic Theophania pro Epiphaniæ Domini ſolemnitate excipienda ſit haud confidenter ſcriberem. Scimus tamen Orientales aliquot Eccleſias, inter quas Antiochena, cujus Presbyter Lucianus fuit, Chriſti Natalem, die VI. Menſis Januarii tribus ferme primis ſæculis celebraſſe, obſervatore Binghamo lib. XX. *Origin.* &c. cap. IV. n. 11.

(*a*); ex quibus clarius intelligimus fuiſſe maxime ſollicitum Lucianum, ut menſa, ſupra quam hoſtiam offerret, in carcerem adferretur. Sed quum id adſequi non potuiſſet, divini inſtinctu Numinis, ob ſpecialem in Euchariſtiam amorem, & affectum caritatis in ſui diſcipulos, qui vivifica dona ab magiſtro ſuſcipere vehementiſſime optabant, in vivo altari, proprio ſcilicet pectore, Euchariſtiam confecit, quam ſibi, diſcipulis, & aliis extra carcerem poſitis, præberet manducandam. *Videbatur autem eſſe dubium* inquit Auctor actorum, *quonam modo menſam quidem in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cum multi quidem tunc partim illic adeſſent, partim autem accederent. Ille vero, menſa quidem, inquit, erit vobis hoc pectus meum, non ut arbitror Deo futura minus honeſta, ea quæ fit ex inanima materia, templum autem ſanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes*. Rem non adeo abſimilem præſtitiſſe legitur Simeonem Barſabei, Chaldeorum, ſeu Neſtorianorum Patriarcham, qui ſub Sapore Rege Perſarum mortuus eſt. Quum enim feria v. majoris hebdomadæ ſacra ſe vellet Euchariſtia communire, & carcere incluſus altari men-

(*a*) Act. SS. ad diem VII. Januar.

menſaque careret, calicem in ſiniſtra presbyteri ſui, & patenam in dextera collocavit: tum cantico dicto, cujus initium *oculo mentis & caritatatis*, quod hodieque canitur, Sacrificium celebravit, ut ex Amro refert Joſeph Simonius Aſſemannus. (*a*) Theodoretus quoque Cyri epiſcopus, ut ipſe in Philotheo ſuo ſcribit, Maris Monachi, qui ſacrificii videndi diuturno deſiderio tenebatur, piis votis ſatisfacturus, divini doni oblationem in ejus cella peregit, uſus pro altari manibus expanſis ſibi adſtantium Diaconorum. Sed eorum, quæ Clementi Ancyrano contigerunt, enarratione rem hanc inluſtremus. Is Romæ Diocletiani juſſu carcere detentus cum multos ibidem baptizaſſet, ut Synaxin cum iis poſſet celebrare divino munere adſecutus eſt, ut ex ejuſdem actis latine factis refert Bollandus (*b*): *Media nocte lumen ingens refulſit, in quod intuentes, conſpexere virum vultu decorum, ſplendida amictum veſte, alis ampliſſimis elatum, accedentem ad Martyrem, & dantem ei panem, ac calicem, moxque ex oculis omnium ſubductum. Omnes ſtupore perculſi ſtetere. At illa ſumens*

B.

(*a*) Tom.III. P.I. Biblioth. Orient. pag. 612. vide etiam pag. 433.
(*b*) Act. SS. ad diem XXIII. Januar.

B. Clemens & conveniente uſus precatione, communicavit baptizatis omnibus, & quæ geſta fuerant contemplatis, pretioſum corporis & ſanguinis myſterium. Alia ex martyrum actis exhibere exempla facile foret, ſed modus adhibendus eſt. Animadvertendum tamen, non alia ratione Lucianum de inferendo in carcerem altari anxie cogitaſſe, niſi quia tunc etiam uſus eſſet receptiſſimus non niſi ſuper ſacras menſas & aras, quæ etiam in carceres deferri poterant, ſacrificium celebrandi. Thierſium hinc maxime miror, qui oſtenſurus altaria portatilia ad ſæculum uſque VIII. incognita fuiſſe, Luciani exemplum in ſuæ opinationis præſidium adducere veritus non eſt. Sane S. Gerardus, referente Mabillonio, (*a*) altare habuit, quo S. Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus in carcere utebatur. Et Deus ipſe quantopere id gratum acceptumque haberet miraculis nonnunquam oſtendit. Narrat enim ex Mombritio Bollandus (*b*) Apollonium, Brixianum, Epiſcopum in ſindone cælitus de-

(*a*) Sæcul. IV. Bened. Append. Vitæ S. Gerardi Ab. Bronienſis num. 32. Alia exempla ſuppeditabit Gatticus lib. & diſſert. cit.

(*b*) In Actis SS. Fauſtini & Jovitæ ad diem XV. Februarii.

demiſſa ſacrum in carcere peregiſſe. Cur autem Lucianus, deficiente menſa, proprio uſus ſit pectore, ac non potius manibus circumſtantium diſcipulorum, id ex eo factum Gatticus laudatus ſuſpicatur (*a*) quod illorum nullus ſacris eſſet ordinibus initiatus, nec auſus propterea ſit S. Martyr ſacro-ſancti ſacrificii Symbola conſecranda illorum in manibus collocare. Alia adjungere exempla haud operoſum eſt. Unum addimus, receptam ſcilicet diſciplinam fuiſſe, ut Epiſcopi aut Sacerdotes in carceribus propter fidem incluſi Deo Sacrificium offerrent, unde eos, quos advenientes ſacro baptiſmate Chriſto regenerabant, ejuſdem etiam corpore & ſanguine confirmarent. Africani Patres Orthodoxi coram Marcellino Comite contra Donatiſtas, Auguſtino referente (*b*) dixerunt *ipſis geſtis* Martyrum, monſtrari quod *in paſſionibus ſuis* collectas egiſſent, & de ordinatione Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi loquentes addiderunt: *Uſque adeo non eſſe incredibile, quod in privatam domum pauci illi* Epi-

(*a*) In opuſc. *de uſu Altaris portatilis* cap. III. §. XII.

(*b*) In Brevic. Collat. diei 3. cum Donatiſtis cap. XVII. n. 33. pag. 574. ed. Ven. 1733. Tom. IX. Opp.

Epiſcopi perſecutionis tempore convenerunt, ut fervente perſecutione, etiam in carcere doceantur baptizati Martyres, & illic a Chriſtianis celebrata Sacramenta, ubi Chriſtiani propter eadem Sacramenta tenebantur incluſi. Eximia hæc diligentia, qua Sacerdotes etiam inter catenas divina celebrarunt myſteria, multo apertius manifeſtat, quanto frequentius tum in privatis ædibus, domibuſque eadem celebrarent.

CA-

CAPUT XII.

Solemnes etiam peregerunt Stationes, quæ Euchariſtia finiebantur.

SOlemnes quoque Stationes cum Synaxi ſancti Martyres in carceribus celebraverunt. Erant vero Stationes determinatæ in Eccleſia excubationes (*a*) cum ſemi-jejuniis conjunctæ, quæ ſcilicet hora nona ſolvebantur cum ſolemni Euchariſtiæ perceptione. Has peragere cum ſolerent Chriſtiani, ne quidem in carceribus ommiſerunt, ut jejuniis ſupremum placarent Numen, & ſacræ Hoſtiæ oblatione pacem Eccleſiæ conciliarent. Quod ex actis ſinceris (*b*) diſcimus S. Fructuoſi Tarraconenſis, urbis in Hiſpania citeriori Epiſcopi, Augurii & Eulogii ejuſdem Diaconorum. Imperantibus Valeriano & Gallieno, Æmiliano vero & Baſſo Coſs. die dominico an. 259. comprehenſi, conjectique in car-

(*a*) Vide Petavium Not. XXIII. pag. 356. ad expoſit. fidei Epiphanii edit. Col. 1682.
(*b*) Apud Ruinart. Act. Mart. ſinc. num. 3.

carcerem die inſequenti Rogatiano catechumeno baptiſma contulerunt. Feria inde quarta celebrarunt ſolemnem ſtationem, ac demum ſexta ad ſupplicium perducti ſunt. Quæ dum contingerent: *Cum multi ex fraterna caritate eis offerrent, uti conditi permixti poculum ſumerent: aït Fructuoſus nondum eſt hora ſolvendi jejunii, agebatur enim hora diei quarta, ſiquidem in carcere quarta feria Stationem ſolemniter celebraverant. Igitur feria ſexta lætus atque ſecurus feſtinabat, uti cum Martyribus & Prophetis in paradiſo, quem Dominus præparavit amantibus ſe, perſolveret ſtationem*; ſcilicet S. Martyr etiam morti proximus jejunii tenax potum recuſavit, quia nondum hora nona, ad quam ſtationum jejunia ducebantur, adveniſſet, ac vellet omnino in ſtatione perſeverare. Quod confirmat Prudentius (*a*) Sæculi IV. Chriſtianus Poeta.

Quoſdam de populo vidit Sacerdos
Libandum ſibi poculum offerentes,
Jejunamus, inquit, recuſo potum
Nondum nona diem reſolvit hora.
Nunquam conviolabo jus dicatum
Nec mors ipſa meum Sacrum reſolvet.

Sed

(*a*) Hymno de S. Fructuoſo.

Sed quod beati confeſſores feria quæ præceſſerat quarta, ſacra ſynaxi finiverint Stationem ex verbis iis *ſtationem ſolemniter celebraverant* colligendum eſt; quo vocabulo, Albaſpinio judice, (*a*) vix quemquam reperias antiquitus uſum eſſe, niſi ad deſignandam ſumtionem Euchariſtiæ. Quare hoc loci ſignificat Fructuoſum quarta feria ſtationem ſuam ſolemnem cum ſociis Euchariſtiæ perceptione feciſſe. Quibus ita explicatis, proſequitur Albaſpinius, ſæpius mecum ipſe cogitavi, quæ vis hujus ſermonis; quænam in eo gratia eſſe poſſet; qua denique ratione in Paradiſo potuerit Beatus ille Martyr ſtationem ſuam quam hic inter humanos inchoaverat, perficere atque perſolvere. Verum tandem hanc eſſe reperi, quod quemadmodum die Mercurii ſtationem ſuam uſu & manducatione Euchariſtiæ expleverat, & ſolemniter fecerat, ita illius diei ſtationem ſperare ſe poſſe in cœlis abſolvere, & implere ejuſdem Corporis fruitione, ſed nudi, aperti, & omni velo purgati. Quamobrem autem Chriſtiani has ſtationes inſtituerint, non alia commodior ratio apparet, inquit idem perdoctus Aurelianenſis Epiſcopus; quam eos excubias pietatis & mæroris ple-

(*a*) Lib.2. Obſervat. XVI. pag. 124.

plena uſurpaſſe, ut Deum ejuſque iram demulcerent; uti enim videmus oborta nova aliqua perſequutione, ad jejunia, preces, lacrymas, & adgeniculationes ſolitos olim Chriſtianos confugere, ita veroſimile eſt primis illis ſæculis, quibus miſeriis & perſequutionibus undique & quaſi perpetuo ſtiparentur, has functiones & pia officia inſtituiſſe, ut peccata ſua expiarent, Deumque Eccleſiæ & fidelibus pacatiorem efficerent. Ac revera ſtationes Corporis Chriſti communione abſolvi conſueviſſe poteſt confirmari Tertulliani teſtimonio, eos, qui a ſtatione ſine Euchariſtiæ ſumtione, quod hac jejunium ſolvi arbitrarentur, recedebant, ita reprehendentis: (*a*) *Similiter & ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum quod ſtatio ſolvenda ſit accepto Corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit? aut magis Deo obligat? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris? Accepto Corpore Domini & reſervato utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii & executio officii.* Quibus docere voluit Tertullianus jejunia Chriſtianorum, quæ diebus ſtationum peragebantur, ſacra haud vitiari menſa, uti delicatulis quibuſdam,

(*a*) De Orat. cap. 19.

dam videbatur, ſed potius conſecrari. Admonet vero iſtos, quandoquidem hæc opinarentur, ut ſi velint acceptam in manibus Euchariſtiam paullulum reſervent finito demum ſtationis ſpatio temporis conſumendam; antequam ſcilicet abſolverentur conventus & Synaxes, quibus communicatione Euchariſtiæ, piiſque precibus finis imponebatur. Iis vero momentis, quæ primis Chriſtianis celebrandarum ſtationum, & jejuniorum cauſſam præbuiſſe Albaſpinius monet, alia poteſt conjungi, & quidem fortaſſe verior ratio ab Origene (*a*) Clemente Alexandrino (*b*) Epiphanio (*c*) aliiſque vetuſtis probata ſcriptoribus; primitivos nimirum Chriſtianos quartam ſextamque feriam, quæ ſtationibus habendis decretæ fuerant, ſingularibus pietatis officiis dedicaſſe, quod quarta feria Chriſtus Dominus comprehenſus ſit, & ſexta crucifixus, ut etiam ait Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum (*d*). Igitur mœroris triſtitiæque cauſſa dies

---

(*a*) Hom. 10. in Levit.
(*b*) Lib. 7. in Levit.
(*c*) In expoſ. fidei & hæreſi 75. num. 6.
(*d*) Lib. 7. cap. 23. Vide ad hæc Beveregium in vind. Cod. Canon. &c. lib. 3. cap. X. num. 6.

dies illas feriaſque conſecrarunt; quamquam negandum haud ſit magnis in calamitatibus, & Eccleſiæ adflictionibus egiſſe quod ajebat Tertullianus inluſtri illa ſententia (*a*): *Nos vero jejuniis aridi, & omni continentia expreſſi ab omni vitæ frugi dilati, in ſacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, Deum tangimus*. Hinc tot illa inſignia gratiarum munera, & copia prodigiorum, quæ veteres Chriſtiani a Divino Numine impetravere.

(*a*) Apolog. c. 40. pag. 130. edit. Haverc. 1744.

CA-

CAPUT XIII.

Laici in vinculis propter Chriſti fidem conſtituti ſacram perceperunt Euchariſtiam, præſidentibus Synaxibus in carceribus habitis Sacerdotibus & Diaconis.

HActenus de Synaxibus ab Epiſcopis habitis cum fidei cauſſa vinculis conſtricti in carceribus detinerentur. Nunc de Sacrificiis iiſdem in locis a Presbyteris celebratis, ut laicos pari cauſſa devinctos ſolarentur, & pane Euchariſtico redderent fortiores ad ſqualloreın carceris perferendum, æqua ratio poſtulat ut diſſeramus. Ac profecto cætera inter, quæ graviſſime ſcripſit de primitivis Chriſtianis Joannes Fronto Cancellarius Pariſienſis, ea mihi ſemper veriſſima viſa ſunt, quæ habet de eorumdem ad carceres acceſſu. *Quod ſi quis*, inquit (*a*) *ob fidem communem carcere incluſus eſt*,

(*a*) Epiſtola de Moribus & Vita primorum Chriſtianorum ad Franciſcum de Harlai Archiep. Rothomagenſem pag. 9. edit. Veronenſis 1733.

eſt, eo convolant ut opem ferant. Nulla adeo fida cuſtodia, quam non ſibi demereant: nulla clauſtra adeo firma, & tuta quæ non penetrent. Huc ſe conferunt alii poſt alios, compedes & catenas eorum venerantur, vulnera exoſculantur, fractis membris & exhauſtis corporibus refrigeria præbent. Et inter illa unus Chriſtus reſonat & pſalmi decantantur; & orationes ſtatis horis offeruntur. Cumque hujuſmodi pietatis officiis præſint ii, qui Sacerdotio inter alios pollent, præſint, inquam, non ut imperent tantum, ſed ut & aliis præeant, & ipſimet adſint illic etiam intra carceris ſquallorem, in tantis loci anguſtiis ſacra fiunt & Corporis & ſanguinis Chriſti myſteria celebrantur. Scilicet locus, ubi pro Chriſto patitur Chriſtianus ſanctus eſt; ubi tam eximia, tam Deo placens, tam cœlo digna victima reperitur. Multa cum ratione illic pro Chriſtiano immolatur Chriſtus, ubi pro Chriſto libenter immolatur Chriſtianus. Quæ veterum ſcriptorum teſtimoniis illuſtrari mirifice poſſunt. Lucianus ſecundi ſæculi ſcriptor ita ſcribebat de Chriſtianorum in Peregrinum, carcere detentum, caritate (*a*): *Cœnæ variæ introducebantur, & ſacri eorum ſermones dicebantur .... Aliqui etiam ex*

(*a*) Epiſt. de Morte Peregrini.

ex quibuſdam Aſiæ Civitatibus venerunt, e communi mittentibus Chriſtianis, qui viro opem ferrent, & conſolarentur. Incredibilem autem celeritatem oſtendunt ſiquid tale publicum contingat. Illico enim nulli rei parcunt. Proinde Peregrino tunc multæ pecuniæ mittebantur, & non exiguum proventum hunc lucriſecit. (*a*) Nec mirum, cum ſummopere Epiſcopi adniterentur, ne quid Chriſtianis fidei cauſſa detentis deeſſet. *Quantum autem*, ajebat Cyprianus (*b*) e ſeceſſu ſuo per epiſtolam ad Clerum, *ad ſumtus ſuggerendos ſive illis, qui glorioſa voce Deum confeſſi in carcere ſunt conſtituti; ſive iis qui pauperes & indigentes laborant; peto nihil deſit quum ſummula omnis, quæ redacta eſt, illic ſit apud Clericos diſtributa propter ejuſmodi caſus, ut haberent plures unde ad neceſſitates & preſſuras ſingulorum operari poſſint.* Magna quoque in *Libro ad Martyras* de pietate & caritate priſcorum Chriſtianorum prædicavit Tertullianus; antequam ſcilicet ab Eccleſia Catholica omnino recederet; nam poſtmodum cum Montani dogmata & ſeve-

(*a*) Totam hanc de Peregrino Hiſtoriam a Luciano enarratam expendit Jo. Clericus Sæculo II. Hiſt. Eccleſiaſt. ad An. CLXV. num. VI. & ſeqq.
(*b*) Epiſt. IV. pag. 31. edit. Venetæ 1728.

veram diſciplinam prorſus complexus fuiſſet, invidioſius Luciano Chriſtianorum caritatem traduxit in libro *de jejuniis* contra *Pſychicos*, id eſt catholicos, & eximia eorumdem pietatis opera calumniatus eſt. Jam vero pari cura ſatagebant Epiſcopi & Presbyteri, ut ſalutari etiam viatico Chriſti confeſſores munirentur qui pane Euchariſtico eoſdem mirabiliter roborari cognoverant. (*a*) Aderant hinc in carceribus frequenter Diaconi & Sacerdotes, qui quum interdiu propter arcani diſciplinam aliaſque cauſſas ſacris haud deberent operari myſteriis, noctu aliquando Sacrificia celebrabant. Patere id arbitror ex eodem Luciano, qui finem non adſequutus, ob quem qui Sacerdotio inter Chriſtianos erant inſigniti, in carceribus commorarentur, eoſdem cum vinctis dormiiſſe ſcriptitavit. *Ac mane quidem*, ajebat (*b*) *continuo videre erat ad carcerem expectantes anus, viduas quaſdam, & pueros orbos;* οἱ δὲ ὅν τέλει αυτῶν, καὶ συνεκάθευδον ἔνδον μετ' αὐτοῦ διαφθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας *quin & ii qui apud eos in muneribus erant* (non alii certe quam Sacerdotes & Diaconi) *cum illo intus, corruptis cuſtodibus, dormiebant.* Quæ quidem

(*a*) S. Auguſt. lib. II. num. 110. contra litteras Petiliani pag. 253. tom. IX. opp. edit. 1733.
(*b*) Epiſt. cit.

dem de habitarum Synaxeωn, & ſacrificiorum in carceribus frequentia adeo vera ſunt, ut Cyprianus Chriſtianæ plebis pios erga Confeſſores adfectus, atque ad carceres acceſſum ex prudentiæ legibus moderari voluerit, ne orirentur ex nimia frequentia pleraque incommoda, & divini muneris oblatio impediretur. En ejuſdem verba: (*a*) *Peto quoque ad procurandam quietem, ſolertia, & ſollicitudo veſtra non deſinat: nam etſi fratres pro dilectione ſua cupidi ſunt ad conveniendum, & viſitandum Confeſſores bonos, quos illuſtravit jam glorioſis initiis divina dignatio, tamen caute hoc, & non glomeratim nec per multitudinem ſimul junctam puto eſſe faciendum: ne ex hoc ipſo invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, ne dum inſatiabiles totum volumus totum perdamus. Conſulite ergo & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius poſſit, ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent: quia & mutatio perſonarum & viciſſitudo convenientium minuit invidiam*. Et hæc quidem ad eas ſunt circumſtantias, & opportunitates coarctanda, in quibus aut cuſtodum clementia, aut alia ratione mul-

(*a*) Epiſt. IV. cit.

multis Chriſtianis ad carceres patebat acceſſus ; Nam aliquando adeo moroſe cuſtoditos legimus Confeſſores, ut nullis artibus ad eos quis ventitare poſſet, & fame oppreſſi interirent. Obtinuit tamen plerumque mos, ut quum extremi ſupplicii lata in illos ſententia fuiſſet, tum alii eos conveniendi haberent poteſtatem. Ac tunc ſtatim ſecreto miniſtrabatur (*a*) illis Euchariſtia, ut cibo fortium muniti alacri animo ad ſupplicia ac mortem properarent. Hujus diſciplinæ non ignari plerique Martyres, ex miniſtrata ſibi divinitus Euchariſtia, aut Euchariſtiæ oſtenſis ſymbolis, proxime futuram mortem agnovere, ut Sancta Perpetua cujus in actis hæc recitantur: (*b*) *& levavit caput & adſpexit me, & dixit mihi: bene veniſti tegnon, & clamavit me & de caſeo, quod mulgebat, dedit mihi quaſi buccellam; & ego accepi junctis manibus & manducavi, & univerſi circumſtantes dixerunt Amen. Et ad ſonum vocis experrecta ſum, commanducans adhuc dulcis neſcio quid. Et retuli ſtatim fratri meo, & intelleximus paſſionem eſ-*

ſe

(*a*) S. Secundum Euchariſtiam ad S. Marcianum Derthonæ in carcere detentum portaſſe refert Bollandus ad diem XV. Februarii.

(*b*) Apud Ruinart. in Act. ſincer. Mm.

ſe futuram, & cœpimus jam nullam ſpem in ſæculo habere. Quibus Euchariſtiam, antiquoſque ejuſdem ſuſcipiendæ ritus indicari jam a Ruinartio, Petro Poſſinio, Holſtenio, Bollandiſtis, Bonarottio, ac Cardinali Urſio oſtenſum eſt. Quorum animadverſiones alio inluſtri confirmari exemplo poſſunt, quod in Actis legitur (*a*) S. Philippi Epiſcopi Heracleenſis & Martyris. Ex quibus Hermetem ejus Diaconum necem ſibi paratam ex miniſtrata ſibi divinitus Euchariſtia cognoviſſe conſtat. *Hoc me paſſurum*, ajebat (*b*), *Deo ac Domino jam ante annuntiante cognoveram revelatione certiſſima. Nam quum dulci ſopore devinctus jacerem columba mihi viſa eſt niveo candore perlucida cubiculum illud ingreſſa, ſubito in medio capite conſediſſe: quæ & inde deſcendens in pectus, eſcas mihi gratiſſimi cibi offerens, ſtatim cognovi, quod me Dominus vocare dignatus eſt, & dignum habuit paſſione*. Quæ profecto cogitatio ſenſusque ex illius diſciplinæ notitia prodibant, qua ipſis confeſſoribus cæterisque morti proximis, Euchariſtia, ceu viaticum immortalitatis & æternitatis, tribuebatur. Quo beati illi homines confirmati dici vix poteſt, qua

(*a*) Apud Ruinart l. cit.
(*b*) Ibidem §. III.

qua fortitudine animique gaudio & Chriſti fidem proteſtarentur, & immania quotquot tormenta ac ludibria ſuſtinerent. Jam vidimus quam firmi, ac conſtantes ſteterint Epiſcopi illi Presbyteri, Clerici ac cæteri adverſus tradendorum ſacrorum Codicum edicta, & quam invicte ignis ſupplicium ac vivicomburium pertulerint. Nimirum vim tantam, ac robur ex adſidua Synaxeωn, in qua ſe corpore & ſanguine Chriſti roborabant, celebratione adſequebantur. Modo inter multa alterum inſigne exemplum adjungemus invictorum Martyrum Jacobi Paragri, & cæterorum, qui vix baptizati confirmatique Euchariſtia hac vocis & animi conſtantia perſuadenti Imperatori, ut Chriſtum abnegarent, reſponderunt: (*a*) *Juramus Deum Patrem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, nos Patrum noſtrorum Hipparchi & Philothei veſtigiis inſtituros, nec tuis fraudibus nos capi poſſe paſſuros eſſe; præſertim quum corpus & ſanguinem Chriſti in noſtris corporibus feramus: idemque ſalutis noſtræ Auctor nos monuerit,* (*b*) *ne mar-*

ga-

(*a*) In actis Hipparchi & Philothei &c. Parte II. Act. SS. MM. Orient. & Occident. a Stephano Evodio Aſſemanno collectis pag. 134.

(*b*) Matthæi 7. v. 6.

garitas ante porcos projiceremus; corpora nempe noſtra ejus corporis contactu conſecrata ſunt, & veluti gemmæ ejuſdem diademati inſertæ. Quæ & ſimilia teſtimonia prætermiſiſſe Ildephonſum de Flores, quum a Chriſto ſub Euchariſticis ſpeciebus deliteſcente tot in Eccleſia martyres repetendos demonſtrare aggreſſus eſt (*a*), mirum cuilibet videatur, qui ſcriptoris genium ac ſtudium, in allegoriis perpetuo conſiſtendi, non habuerit perſpectum & exploratum.

(*a*) *De inclyto Agone Martyrii:* fol. Coloniæ Allobrogum 1735. p. 1. lib. IV. cap. 1. Et lib. III. p. II. cap. XVI. pag. 338. num. 854.

CA-

qua fortitudine animique gaudio & Chriſti fidem proteſtarentur, & immania quotquot tormenta ac ludibria ſuſtinerent. Jam vidimus quam firmi, ac conſtantes ſteterint Epiſcopi illi Presbyteri, Clerici ac cæteri adverſus tradendorum ſacrorum Codicum edicta, & quam invicte ignis ſupplicium ac vivicomburium pertulerint. Nimirum vim tantam, ac robur ex adſidua Synaxeων, in qua ſe corpore & ſanguine Chriſti roborabant, celebratione adſequebantur. Modo inter multa alterum inſigne exemplum adjungemus invictorum Martyrum Jacobi Paragri, & cæterorum, qui vix baptizati confirmatique Euchariſtia hac vocis & animi conſtantia perſuadenti Imperatori, ut Chriſtum abnegarent, reſponderunt: (*a*) *Juramus Deum Patrem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, nos Patrum noſtrorum Hipparchi & Philothei veſtigiis inſtituros, nec tuis fraudibus nos capi poſſe paſſuros eſſe; præſertim quum corpus & ſanguinem Chriſti in noſtris corporibus feramus: idemque ſalutis noſtræ Auctor nos monuerit,* (*b*) *ne marga-*

(*a*) In actis Hipparchi & Philothei &c. Parte II. Act. SS. MM. Orient. & Occident. a Stephano Evodio Aſſemanno collectis pag. 134.

(*b*) Matthæi 7. v. 6.

garitas ante porcos projiceremus ; corpora nempe noſtra ejus corporis contactu conſecrata ſunt , & veluti gemmæ ejuſdem diademati inſertæ . Quæ & ſimilia teſtimonia prætermiſiſſe Ildephonſum de Flores , quum a Chriſto ſub Euchariſticis ſpeciebus deliteſcente tot in Eccleſia martyres repetendos demonſtrare aggreſſus eſt (*a*), mirum cuilibet videatur , qui ſcriptoris genium ác ſtudium , in allegoriis perpetuo conſiſtendi , non habuerit perſpectum & exploratum.

(*a*) *De inclyto Agone Martyrii :* fol. Coloniæ Allobrogum 1735. p. 1. lib. IV. cap. 1. Et lib. III. p. II. cap. XVI. pag. 338. num. 854.

CA-

CAPUT XIV.

Mos Sacrificia in carceribus obeundi ſæviente perſequutione ex Africanæ Eccleſiæ diſciplina confirmatur.

QUæ autem modo de fortitudine atque conſtantia, quam ex Euchariſtiæ perceptione Chriſtiani adſequebantur diſputavimus, optime ſtabiliuntur, & confirmantur uſu & diſciplina Africanarum Eccleſiarum, quæ id mirifice noverunt. Quamvis enim S. Cyprianus in primo Carthaginenſi Concilio conſtituiſſet, eos, qui in Decii perſequutione lapſi fuerant, diu agere debere pœnitentiam, & nonniſi infirmitate urgente, pacem ſub ictu mortis accipere, poſtea tamen ſupernis revelationibus edoctus & inſpiratus prioris decreti ſeveritatem inflexit; & inſtante Galli & Voluſiani perſequutione iis, qui pœnitentiam a primo lapſus ſui die agere incœperant, pacem dari atque Euchariſtia refici mandavit; quum nimis inhumanum videretur illis,

illis, qui in pœnitentium numero fuerant ſcripti & brevi erant pro Chriſti confeſſione pugnaturi, panem Euchariſticum ceu conſuetum viaticum denegare. *Sed enim*, ajebant Cyprianus & alii Epiſcopi ad Cornelium Pontificem (*a*) *cum videamus diem rurſus alterius infeſtationis appropinquare cœpiſſe, & crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admoneamur ut ad certamen quod nobis hoſtis indicit armati & parati ſimus, plebem etiam nobis de divina dignatione commiſſam exhortationibus noſtris paremus, & omnes omnino milites Chriſti, qui arma deſiderant, & prælium flagitant, intra caſtra Dominica colligamus, neceſſitate cogente cenſuimus eis, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe, & eos ad prælium quod imminet armari, & inſtrui oportere. Obtemperandum eſt namque oſtenſionibus atque admonitionibus juſtis, ut a paſtoribus oves in periculo non deſerantur, ſed grex omnis in unum congregetur, & exercitus Domini ad certamen militiæ cœleſtis armetur.* Mox addit momenta, propter quæ & ipſe, & alii ita eſſe agendum decreverant: *at vero nunc* non

(a) Epiſt. LIV. pag. 171. edit. cit.

non infirmis ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus, communicatio a nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus, & cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus ..... idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium, & mens deficit quam non recepta Euchariſtia erigit & accendit. His atque aliis de cauſſis, quas a Cypriano adductas miſſas facimus ne longi ſimus, ſacerdotes ſacris quotidie (*a*) operabantur myſteriis, ne qui præ cæteris ad necem quærebantur, tanto munimento deſtituti invenirentur. Tot hinc Martyrum præclaros agones, & felices pugnas ab Euchariſtia proceſſiſſe cum ipſe tum alii prædicarunt. Legas inde non ſemel Chriſtianos ſacra in Synaxi conſtitutos vivos potius combuſtos mori, quam (*b*) Chriſto voluiſſe valedicere. At quum non erat conceſſum iiſdem, ſcilicet furente perſequutio-

(*a*) Ibid. & in lib. *De Oratione Dominica* pag.421. cit. edit.

(*b*) Euſebius H. E. lib. 8. cap. XI. Lactantius Di-

tione, ſacræ adſtare liturgiæ, Euchariſtiam domi apud ſe præsbyteri habebant, miſſuri eandem petentibus, aut ipſimet delaturi, pro uniuſcujuſque arbitrio, ac fervore conſumendam. Ac primo quidem Presbyteros penes ſe habuiſſe Euchariſtiam, maxime tempore perſequutionum, manifeſtiſſimum eſt ex Dionyſii Alexandrini ad Fabium Epiſtola, in qua ſenis Serapionis communio extrema hac ratione enarratur (*a*). *Erat in hac urbe Serapion quidam ſenex e numero fidelium, qui reliquo quidem anteactæ vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat. Sed in perſequutione lapſus ſæpe numero veniam petierat; nec quiſquam ei attendebat, eo quod ſacrificaſſet. Idem morbo correptus, vocis uſu ſenſuque omni carens triduo permanſit. Quarto demum die paullulum recreatus, nepotem ex filia ad ſe vocat & quouſque tandem, inquit, me detinetis fili? proper te quæſo, & me quantocyus abſolvite. Acccerſe mihi unum ex Presbyteris. Hæc cum dixiſſet rurſum illum vox deſtituit. Puer ad Presbyterum cucurrit. Jam nox erat:*

Divin. Inſt. lib. 5. cap. II. Martyrolog. Rom. 25. Decembr. & Menologium Græcorum ad diem 28. ejuſd. Menſis.

(*a*) Euſebius l. c.

erat: Presbyter autem ægrotabat. Sed quonian in mandatis dederam, ut morituris ſi peterent, & maxime ſi antea ſuppliciter poſtulaſſent, venia indulgeretur, quo bonæ ſpei pleni ex hac vita migrarent, exiguam Euchariſtiæ partem puero tradidit, jubens ut in vino intinctam ſeni in os inſtillaret. Redit igitur puer bucellam afferens. Et cum appropinquaret priuſquam ingrederetur; recreatus iterum ſenex, veniſti, inquit, fili. Ac Presbyter quidem ipſe venire non potuit. Tu vero fac citius quod imperatum eſt, & dimitte me. Mox puer bucellam intinxit, & in os ſenis infudit qui ea paulatim abſorpta continuo animam exhalavit. Et in actis SS. Hypparchi & Philothei (*a*) legitur Jacobum Presbyterum ab his evocatum ut ad prioris domum accederet, unde Jacobum, Paragrum, Habibum, Lolianum, & Romanum baptizaret, illuc cum Euchariſtiæ Sacramento etiam profectum fuiſſe; (*b*) *Et poſtquam*, inquiunt acta, *ſe in Deum vivum credere profeſſi ſunt, & manufactos Deos, qui Dii non*

ſunt,

(*a*) Lib. cit. Act. SS. Mart. Orient. & Occident. pag. 125.

(*b*) Obſervat Mabillonius lib. I. cap. VIII. n.8. Liturgiæ Gallicanæ, ſacerdotes olim in itinere conſtitutos, ut ſemper ad ſacra facienda parati eſſent, calicem cum patena geſtaviſſe. Patet id, ex lib. Gregorii Turonenſis de Gloria Confeſſorum. Et

Boni-

ſunt, ejurarunt, baptizavit eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, eiſque corpus & ſanguinem Chriſti continuo impertiit. Iis factis Sacerdos ſacrum adparatum collegit, pallioque ut antea involutum domum reportavit, magna diſſimulatione, atque celeritate uſus. Verebatur enim ne forte ſuperveniret Ethnicus quiſpiam, ipſumque in ædibus Hipparchi comprenderet: ſenex enim erat, & ſub paupere lacerna Sacerdos; Hipparchus contra & Philotheus viri erant in urbe ſpectatiſſimi, ſummoſque in eadem honores, quibus etiam inſignes erant eorumdem ſocii, fuerant conſecuti. Paſſi inde ſunt ſancti viri Samoſatæ tertio exeunte ſæculo ſub Galerio Maximiano. Hoc etiam ſingulare in his actis occurrit, quod Philotheus & Hipparchus Jacobum illum Sacerdotem, cujus modo meminimus, per epiſtolam admonuerunt, eorum annulo ſubſignatam. *Hipparchus & Philotheus, epiſtolam ſuo annulo obſignatam per Hipparchi ſervum ad Jacobum Chriſti ſacerdotem mittunt*. Qui mos fortaſſe tunc temporis invaluerat, ut recipientes epi-

---

Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus legem tulit, quæ habetur tom. 9. Spicilegii, ſcilicet *ut Presbyteri ſine ſacro Chriſmate, & Oleo benedicto, & ſacra Euchariſtia alicubi non proficiſcantur, nempe ut ad officium ſuum ſtatim inveniantur parati*.

epiſtolas fraudem nullam propter Ethnicos ſuſpicarentur, (*a*) maxime cum annulis Chriſtianorum figuræ quædam ac ſigna eſſent inſculpta, (*b*) quæ fidem illorum, qui eoſdem geſtarent, non obſcure initiatis indicarent, ut jam oſtendimus.

(*a*) Dodwellus Diſſertatione II. Cyprianica de notis Epiſtolarum diſputat, quibus ſe ſe Chriſtiani invicem commendabant, ac primo intuitu cognoſcebant.

(*b*) De ſignis Chriſtianorum, annulis inſculptis ſupra diximus. Baſilidis ſectatores, & Gnoſtici portenta nominum & figurarum ſuis etiam annulis inſculpſerunt, ut in gemmis veteribus, quæ *Abraxæ* vulgo appellantur, cernere licet. De his ſcribunt Chifletius & Kirchmannus de Annulis cap. XIII.

CA-

CAPUT XV.

Ad Chriſtianos, qui haud poterant Synaxibus intereſſe, Euchariſtia mittebatur per Diaconos, vel miniſterio Accolythorum.

Sed vero mos etiam uſusque invaluerat, ut ad eos, qui ſacris haud potuiſſent intereſſe, aut Euchariſtiam domi non haberent, miniſterio Diaconorum eadem mitteretur. Hujus conſuetudinis ceu paſſim uſitatæ ac receptæ meminit etiam Juſtinus, ita uti ſupra ejuſdem verbis exſcriptis indicavimus. Et convenit etiam id muneribus Diaconorum, quæ primis temporibus obiere. Spectabat ſcilicet etiam ad ipſos Dominicum ſanguinem imo & corpus ſacra in Synaxi diſtribuere, uti Cyprianus (*a*) Conſtitutiones Apoſtolicæ, & nonnulli Patres teſtantur (*b*). Hac fortaſſe de cauſſa Diaconis præ-

(*a*) Lib. de Lapſis.

(*b*) Habertus Part. IX. Pont. Græcor. Morinus de ſac. Ordinat. P. III. apud quos Patrum teſtimonia. Pertinebat quoque ad Diaconos litteras encyclicas deferre, qui propterea *Dominici Curſores*

præcipue viſitandorum Chriſti Confeſſorum quos carceribus Ethnici incluſerant, cura demandata eſt, & ſæpe commendata, (*a*) ut nimirum ſimul & confortarent illos, & reficerent Euchariſtia. Negandum tamen non eſt eodem munere Accolythos quoque functos fuiſſe; ut de Tharſicio Romano Accolytho memoriæ proditum eſt in Martyrologio: (*b*) *Romæ via Appia S. Tharſicii Accolythi, quem Pagani cum inveniſſent Corporis Chriſti Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere quid gereret: at ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tandiu ab ipſis mactatus eſt fuſtibus & lapidibus donec exhalaret ſpiritum: & revoluto ejus corpore ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in manibus aut in veſtibus invenerunt*. Quæ S. Damaſus hiſce verſibus complexus eſt (*c*)

Tharſicium ſanctum Chriſti Sacramenta gerentem
Cum male ſana manus peteret, vulgare prophanis
Ipſe animam potius voluit dimittere cæſus,
Prodere quam canibus rabidis cæleſtia membra.

Sua-

ſores dicebantur. Sed hac de re digna eſt quæ perlegatur Dominici Bencinii eruditiſſima Diſſ. I. *de Litteris Encyclicis* §. IX. pag. 110.

(*a*) Vide Valeſium in notis ad lib. VI. cap. 42. H. E. Euſebii pag. 274. edit. Taur. & Cypriani Epiſtolas.

(*b*) Martyrolog. Rom. 15. Aug.

(*c*) Carm. XVIII. pag. 23. edit. Rom. 1754.

Suadet ipſa conditio temporum, quibus Tharſicius paſſus eſt, ut quæ heic dicuntur, non de ſola Euchariſtia ſive *fermento* a Romanis Pontificibus ad Presbyteros urbis ſpecialiter mitti ſolito cum Cardinali Thomaſio intelligamus (*a*), ſed extendamus latius & univerſim de pane Euchariſtico ad Chriſtianos delato interpretemur, qui Tyrannorum metu latitabant. Itaque quum myſterii occultationem verbis non eſſet adſecutus ſanctus hic Accolythus, Deus ipſe, inſigni miraculo, inquit Scheleſtratius (*b*) diſciplinam Eccleſiæ, quam in occultando ſacramento ille obſervare ſtudebat, comprobavit. Sane curavere ſemper diligenter Eccleſiæ Patres, ut Chriſtianæ myſteria religionis, Euchariſtiæ præſertim, Ethnicos laterent, minus vero nota catechumenis redderentur; ne ut ait Alexandrina Synodus (*c*) *Ethnici ignorantes ea ſubſannent, & catechumeni curioſi effecti ſcandalizentur*. Quod Gentiles in ſacris ſuis quoque ſervaverunt, Ægyptii præſertim, ſcribentibus Diodoro Siculo,

&

(*a*) Tom. VII. Opp. Opuſcul. 6. pag. 56. edit. Rom. 1754.

(*b*) De Diſciplina Arcani cap. VII. art. V.

(*c*) Apud S. Athanaſ. Apolog. 2.

& Jamblico (*a*) illorum ſacerdotes de myſteriis ſuis nonniſi per ſymbola & arcanas teſſeras locutos fuiſſe. Hinc pœnæ in eos decretæ, qui iis de rebus liberius loquerentur. Unde Horatius (*b*).

.... Vetabo qui Cereris Sacrum
Volgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus.

Et de Tantalo Ovidius (*c*)

Quærit aquas in aquis & poma natantia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Hac arcani diſciplina ducti Chriſtiani celabant ſacro-ſanctæ myſteria Religionis & ſepulcra exornabant ejus generis ſignis, epitaphiis, formulisque, quas ethnici nullo modo cognoſcerent, initiati vero facillime intelligerent. Sed ut ad accolythos revertamur, ceſſatis etiam Eccleſiæ perſequutionibus, Euchariſtiam ſive *fermentum* ad Presbyteros urbis ex Pontificum mandato detuliſſe, ex epiſtola Innocentii I. ad Decentium

(*a*) Lib. 2. de Vita Pythagoræ c. 28.
(*b*) Lib. 3. carm. 2.
(*c*) Lib. 2. Amor. Eleg. 2.

tium cognoſcitur, ita ſcribentis. *De fermento vero, quod die dominico per titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra Civitatem ſint conſtitutæ. Quarum Presbyteri quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Accolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione maxime illa die non judicent ſeparatos &c.* Porro *Fermenti* nomine indicari Euchariſtiam concors jam fere eruditorum omnium ſententia eſt, ut Scriptores illos legenti conſtabit, qui de pane azimo & fermentato ſcripſerunt (*a*). Deferebant autem Accolythi Euchariſtiam in ſacculis, ut notat eximius Mabilonius (*b*) ad ea verba Octavi Ordinis Romani, ubi Accolythos recepiſſe legitur *ſacculum ſupra planetam*. Quamvis opinari liceat ſacculos non fuiſſe immediatum continens Euchariſtiæ, ſed eandem prius vaſculis quibuſdam incluſam, in ſacculos inde immiſſam fuiſ-

(*a*) Simul collecti prodierunt Venetiis an. 1729. cum hoc titulo: *Bibliotheca ſelecta de ritu Azimi ac Fermentati &c.*

(*b*) Muſei Italici Tom. 2. pag. 85. Perduravit mos ille, ſaltem in Romana Eccleſia, uſque ad S. Silveſtri tempora. Idem legitur in primo, tertio & quarto ex Romanis Ordinibus ab Hittorpio editis.

fuiſſe, ne fragmenta diſperderentur. Quæ hodierna etiam Græcorum conſuetudo eſt, Allatio teſte (*a*). Sed de vaſculis, cæteriſque inſtrumentis, quibus ſunt uſi veteres ad conſervationem Euchariſtiæ, alibi occurret dicendi locus opportunior.

(*a*) Epiſt. I. ad Morinum de Templis recent. Græcor. & Auctores celeberrimi Operis inſcripti *Perpetuitè de la foi* &c. lib. III.

CAPUT XVI.

Agebantur Synaxes in Cœmeteriis, & Cryptis Arenariis.

REvertor ad S. Tharſicium, cujus modo meminimus. Hunc ex illorum numero fuiſſe, qui Euchariſtiam confectam in cœmeteriis, cryptisque, extra urbis mœnia ſitis, ad domos deferre ſolebant, multi ſcriptores tradiderunt. Admonet propterea me hic locus, & ſuſcepti argumenti ratio flagitat, ut heic de cœtibus, ac Synaxibus agam, quas veteres Chriſtiani iis in locis, perſequutorum metu exterriti, ſanctiſſime habuerunt, cum ibidem ſacrorum cauſſa ferarum inſtar latitarent; temporibus Diocletiani præſertim, quo

Triſtius haud illo monſtrum nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deum ſtygiis ſeſe extulit undis.

Erit porro inprimis operæ pretium harum cryptarum & cœmeteriorum deſcriptionem ex illorum fide Scriptorum exhibere, qui eadem luſtraverunt, ne ea, quæ de Synaxibus in iiſ-

dem

dem habitis dicturi ſumus, alicui incredibilia videantur. Urbis cœmeteria, inquit Paullus Arringhius, (*a*) ut rei, ac nominis originem alius repetam s, loca quædam ſubterranea ſunt extra mœnia per circuitum ſita proximis ſub collibus, variis cuniculis, multiplicibusque anfractibus in parte inferiori effoſſa, quæ antra aut cavernas, vel ſpeluncas vel certe etiam Cryptas proprio, aptoque vocabulo appelles. Hæc tamen parum introrſum, aut nil fere lucis admittunt, & a viis, quæ frequenti perambulantium pede teri conſueverunt, ipſomet loci ambitu diſtinguuntur. Hæc rurſus in varios, ac multi formes vicos, & angiportus ſubdividuntur, ita ut intuentibus labyrinthi cujuſdam faciem præſeferant. In parietibus autem ferro hinc inde excavata cernuntur, humanis recipiendis, recondendisque cadaveribus deſtinata. Porro hujuſmodi cœmeteria talis, ac tantæ amplitudinis ſunt, ut unumquodque eorum curioſis percurrentium & perſcrutantium oculis civitatem haud exiguam vel ipſo repræſentare aſpectu videatur. ſtatis enim quibuſdam locis, ut in civitatibus, quas incolunt homines, ampliora, & longe lateque protenſa ſpatia, ad ſacros nimirum peragen-

(*a*) Rom. Subterr. lib. 1. c. 1. num. 9.

agendos fidelium conventus, videre eſt. Hucuſque Arringhius, cujus dicta ex Prudentio confirmamus, qui S. Hippolyti Martyris cryptam ita eleganter deſcribebat (*a*).

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Merſa latebroſis crypta patet foveis.
Huius in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores ſummo tenus intrat hiatu
Illuſtratque dies limina veſtibuli.
Inde ubi progreſſu facili nigreſcere viſa eſt
Nox obſcura, loci ſpecus per ambiguum;
Occurrunt cæſis immiſſa foramina tectis
Quæ jaciant claros antra ſuper radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde receſſus
Arta ſub umbroſis atria porticibus:
Attamen exciſi ſubter cava viſcera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea ſolis
Cernere fulgorem luminibusque frui.

Has proinde in cryptas chriſtiani ſe ſe recipientes, uti temporum conditio ferebat, parabant omnia, quæ neceſſaria atque opportuna erant

(*a*) Περὶ ςεφ. XI.

erant ad ſacram liturgiam, & fidelium Synaxes. Inferebantur aræ viaticæ ac mobiles, & non ſemel etiam altaria immobilia in illis extruebantur, tanto ſecurius quidem, quanto ab inſultibus paganorum cryptæ remotiores & ſecretiores credebantur. Id vero exſequebantur Foſſores, qui quum ſubterranea cœmeteria Chriſtianorum foderent, atque excavarent, certe etiam ita aptabant, ut & Chriſtianorum, ac præcipue martyrum ſepulturæ congruerent & Synaxibus celebrandis deſervirent, uti etiam cenſent Ludovicus Ant. Muratorius (*a*) Joan: Lamius (*b*) atque Boldettus. (*c*) Qui etiam in cæmeterio Callixti, & Prætextati ferreos uncinulos obſervavit in illorum fornicibus conſtitutos, ex quibus fictiles, aut æreæ lucernæ pendebant ad tenebras diſpellendas; eo fere modo, quo in Nolana Baſilica ſuſpenſas fuiſſe ſcribit S. Paulinus (*d*)

Pendentes lychni ſpiris retinentur abenis
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant,
Funibus undantes flammas levis aura fatigat.

Ha-

(*a*) Theſaur. inſcript. Pag. MDCCCCLXIX.
(*b*) De Erudit. Apoſtolor. pag. 272. edit. 1766.
(*c*) Vid. lib. 1. cap. 8. *Oſſervazioni ſopra i cimiteri ec.*
(*d*) Natal. 9. S. Felicis.

Harum ſane lucernarum aut fictilium lampadum tantam copiam ex cœmeteriis erutam fuiſſe conſtat, ut non ad neceſſitatem tantum, ſed etiam ad ornatum & pompam quodammodo iis fuiſſe uſos (*a*) Chriſtianos videatur. Quum igitur heic omnia propemodum haberent, quorum erat uſus in liturgia neceſſarius, mirum eſſe haud debet, ſi eo ſe reciperent Chriſtiani unde furiales perſequentium iras evitarent, & ſacras haberent Synaxes. Quod ex Martyrum actis firmare neceſſum eſt. In actis S. Stephani legimus S. Hippolytum civem Romanum *vitam ſolitariam egiſſe in cryptis*, maximeque in Pontiani arenario, ubi recenter baptizati *cœpere habitare in eodem Arenario cum Hippolyto, Euſebio Presbytero, & Marcello*: qui duo poſtremi martyrio poſtmodum coronati ſepulti fuere *Via Appia milliario ab urbe in Arenario, ubi frequenter conveniebant*. Sed multorum inſtar teſtimoniorum, quæ adduci poſſent, Numeriani Cæſaris immane facinus erit, qui quum audiviſſet ingentem numerum Chriſtianorum ad cryptam ſeu cœmeterium acceſſiſſe Sanctorum Mar-

(*a*) Vid. Lupium in Animadver. ad Severæ Martyris Epitaphium num. XIII. pag. 116. Boſium *Rom. ſotterr.* lib. III. c. 23. pag. 201. & ſeqq.

Martyrum Chryſanti, ac Dariæ Synaxeos cauſſa; cryptæ introitum occludi juſſit, & ſic omnes vivos ſepeliri: *Cum multa* inquiunt Acta (*a*) *beneficia Deus venientibus ad eorum ſepulcra præſtaret, evenit ut die Natalis eorum infinita populi multitudo conveniret, viri ſimul & mulieres, & infantes & innuptæ puellæ & juvenes. Hoc cum fuiſſet Numeriani auribus intimatum, juſſit ut in introitu, quo introierant in cryptam, paries levaretur; quod cum fuiſſet impletum, deſuper a ſabulone ſuper eos montem dejecit. Omnes ergo pariter dum communiter Sacramenta participarent & martyrum gloriam celebrarent, ipſi quoque ad martyrii coronam pertingerunt. Inter quos erant Diodorus Presbyter & Marianus Diaconus, & plurimi Clericorum; populi autem multitudo nec numerus, nec nomina collecta ſunt.* Martyres porro ita interfectos, cæteroſque in cryptas inlatos Chriſtiani ſepeliebant, excavatis loculis in cœmeteriorum parietibus ad inſtar feneſtrarum, cadaveribus excipiendis (*b*). Qui deinde loculi tabulis ſeu marmoreis ſeu fictilibus claudebantur, inſcriptionibus ex cynabari, minio, aut carbone effictis in iiſdem tabulis,

(*a*) Apud Arringhium Rom. ſubterran. lib. 1. cap. XXXI. num. 5.

(*b*) Lupius lib. cit. num. 1. pag. 2.

lis, & aliquando etiam ne quidem nomine appoſito Martyrum ſepultorum. Hinc laudatus Prudentius

Innumeros Cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Chriſte, Valeriane ſacer,
Inciſos tumulis titulos & ſingula quæris
Nomina? difficile eſt ut replicare queam.
Tantos iuſtorum populos furor impius hauſit
Cum coleret patrios Troja Roma Deos.
Plurima litterulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacita claudentia tumbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum jaceant congeſta corpora acervis
Noſſe licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub una
Reliquias memini me didiciſſe hominum.
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.

Vide quam bene hæc cohæreant cum multitudinem interemtorum, quorum ſemper nomina collecta haud fuiſſe exſcriptis actis modo retulimus. Alterius in cryptis conventus Acta S. Laurentii meminerunt: *Qui exiens* (*a*) *inde audi-*

(*a*) Boſius *Rom. ſotterr.* lib. III. cap. LXVI. pag. 584.

divit, quod in vico Patritii multi congregati eſſent in Crypta Nepotiana, & veniens ibi B. Laurentius detulit ſecum ea, quæ neceſſaria erant Sanctis, & invenit ibi animas ſexaginta tres promiſcui ſexus & introivit cum lacrymis ad eos, dans pacem omnibus. Qua in crypta furente perſequutione plurimos S. Stephanum baptiſmate tinxiſſe memoriæ proditum eſt; & de eodem Pontifice hæc ex ejuſdem Actis habemus: *Ingraveſcente Valeriani & Gallieni perſecutione, Stephanus convocato Clero ad Martyrium ſuos hortabatur, in cryptiſque Martyrum aſſidue miſſas & concilia celebrabat; & cum ad Martis templum ut ſacrificaret adductus fuiſſet, terræ motu oborto, omnibus aufugientibus, qui Stephanum tenebant, Pontifex ad ſuos revertitur in cœmeterium Lucinæ: quos divinis præceptis inſtruens; Sacramento Corporis Chriſti communicavit; ibique dum miſſarum ſolemnia perficit advenientibus iterum Imperatorum ſatellitibus, ei in ſua ſede caput abſcinditur.* Ita non ſemper tutus Chriſtianis in has cryptas ſeceſſus evadebat; nam licet per inextricabiles cœmeteriorum ambages errabundi inſtantia fata eluderent, vel diferrent, tamen odii magnitudo Ethnicorum efficiebat, ut ad eos etiam per cuniculos hujuſmodi quamvis intricatos, & qui ad mare uſque protenderentur, pervenirent, illoſque trucidarent,

rent; ut inviſtum documentum Alexandri Martyris inſcriptio præbet (*a*)

ALEXANDER. MORTVVS. EST. SED·
VIVIT. SVPER. ASTRA. ET. CORPVS·
IN. HOC. TVMVLO. QVIESCIT. VITAM·
EXPLEVIT. CVM. ANTONINO. IMP. QVI·
VBI. MVLTVM. BENEFITII. ANTEVENIRE.
PRÆVIDERET. PRO. GRATIA. ODIVM.
REDDIT. GENVA. ENIM. FLECTENS.
VERO. DEO. SACRIFICATVRVS. AD.
SVPPLICIA. DVCITVR. O. TEMPORA.
INFAVSTA. QVIBVS. INTER. SACRA.
ET. VOTA. NE. IN. CAVERNIS. QVIDEM.
SALVARI. POSSVMVS. QVID. MISERIVS.
VITA. SED. QVID. MISERIVS. IN.
MORTE. CVM. AB. AMICIS. ET. A.
PARENTIBVS. SEPELIRI. NEQVEVNT.
TANDEM. IN. COELO. CORVSCAT.
PARVM. VIXIT. QVI. VIXIT. IV. X. TEM.

Hic Antoninus Imperator, Marcus Aurelius, an Antoninus Pius, an Heliogabalus, an denique Caracalla fuerit, adhuc non eſt exploratum. Ro-

(*a*) Hanc referunt Arringhius, Reineſius, Mabillonius, Boldettus, Urſius, Mamachius, Lamius & alii.

Roboratur tamen hac Alexandri Martyris inſcriptione Philippi Bonarotii conjectatio (*a*) de cœmeteriorum dormitoriis, quæ terra repleta non in uno loco reperta ſunt. Quod ſane contigit temporibus perſequutionum, quibus vigentibus Chriſtiani etiam in cœmeteriis cryptiſque ab Ethnicis ad necem quærebantur. Hac ratione ſubterraneos cuniculos aditusque terræ injectione interrumpebant, ut non adeo facile in manus inſequentium inciderent; exigente etiam ingenti numero martyrum promtam & ſubitaneam ſepulturam. Hinc nova dormitoriorum excavatio neceſſaria cum eſſet, & periculum majus immineret ſi terram aperta in planitie projeciſſent, utebantur eadem ad viarum quarumdam aditus obſtruendos, ut gentiles ceu totidem in labyrinthis poſiti aberrarent; ipſi vero poſſent procul ab illorum oculis latitare, cum palam prodire opportunum minime arbitrarentur. In his porro ſpecubus, cryptiſque alimenta ab ſociis Chriſtianis recipiebant, ut Martyrum Acta teſtantur. De S. Palmatio memoriæ proditum eſt, quod ſcilicet in furore perſequutio-

num

(*a*) Praefat. Pag. XII. Obſervationum ad Vitrorum veterum fragmenta &c.

num (*a*) *cœpit omnem facultatem ſuam paupe-ribus Chriſtianis erogare , & perquirere cryptas & ſi inveniret abſconditos Chriſtianos de facultatibus ſuis victum vel tegumentum miniſtrabat*. Plura alia exempla ſuppeditabunt ſincera Acta Martyrum vix a quoquam ignorata.

(*a*) Ex Mſ. Cod. Baſil. Fontis Olei apud Boldettum lib. I. Obſervat. cap. III.

CAPUT XVII.

Ciampinii adverſa ſententia expenditur & refutatur.

ERant igitur Chriſtianis veteribus cœmeteria, quod nunc temporis Eccleſiæ ſunt. Erant ſacris muneribus deſtinata, & convenientibus frequenter Chriſtianis debitus ibidem Deo, ac Religioni cultus reddebatur. (*a*) Erant latibula in quibus ab omni prorſus delicto immunes, apud barbaros tamen judices, tanquam patriæ Religionis perduelles infenſique hoſtes Deorum Religionis delati, ad inſectantium rabiem ac ſævitiam ad tempus declinandam ſeſe occultabant; cum alii interim, qui nondum fidem Chriſti palam confeſſi erant, nec in medium pro Chriſtiana Religione dimicaturi prodierant, intra abditos terræ ſinus iiſdem alimenta miniſtrarent. Erant denique Chriſtianis ubique ad necem quæſitisceu quædam armamentaria

(*a*) Panvinius de Cœmeteriis Cap. XI.

ria, ex quibus arma educerent; panem ſcilicet Euchariſticum acciperent, quo robur, ac vim admirabilem adverſum hoſtium incurſiones adſequebantur. Hæc omnia conſtare arbitramur ex recitatis martyrum Actis, confirmarique mirifice Alexandri martyris inſcriptione, qua in cavernis Chriſtianos ſalutem ſibi quæſiviſſe clariſſime edocemur. Joannes tamen Ciampinius, vir doctiſſimus, hiis in monumentis, in quibus præcipue muſiva opera, & ſacrarum profanarumque ædium ſtructura aliaque ſimilia diſſertationibus illuſtrantur, adverſam illi, quam hactenus propugnavimus, de Synaxibus in cæmeteriis cryptiſque celebratis, ſententiam, totis plane viribus propugnare viſus eſt. Probaturus enim adverſus Acatholicos tribus primis Eccleſiæ ſæculis publica ædificia fuiſſe, in quibus Chriſtiani ſacra poſſent peragere, diſtincta omnino a cœmeteriis, cryptis & catacumbis, eo tandem longa diſputatione progreſſus eſt, ut negaret (*a*) cryptas Chriſtianis ad Synaxes habendas aliquando inſerviiſſe, nec in iis unquam moram habuiſſe prolixam. Quæ ut tueretur plura argumenta congeſſit, in quibus exſolvendis feret patienter Lector, ut paullulum immo-

(*a*) P. 1. Veter. Moniment. cap. XVII.

moremur . Ex Euſebio primum Gallieni edi- ctum (*a*) profert , quo Ethnici jubebantur , ut cuncti a *religioſis locis* abſcederent , eaque redderent Chriſtianis. Unde ergo poſtulat Ciampinius , Ethnici abſcederent , quæ loca Chriſtianis redderent ? Ea profecto quæ ab eis rapuerant , quæque habitatione occupaverant. Num autem cœmeteria cryptaſque occupaſſe Ethnicos dicendum eſt, eademque ſibi in domicilia delegiſſe . Minime gentium . At hæc & alia hujuſmodi probant quidem Chriſtianos ædes habuiſſe , in quidem ſacris operari poſſent, a cœmeteriis diſtinctas , quaſque ab Ethnicis occupatas iiſdem reſtitui mandavit Gallienus , ſed neutiquam oſtendunt Chriſtianos haud potuiſſe ſacris etiam in cœmeteriis cryptiſque Synaxes agitare . Imo quum ædibus deſtituti privatique perſæpe forent , ut ex illo edicto quo eædem Chriſtianis reſtituuntur, eſt manifeſtum , neceſſe profecto habebant aliis in locis ſe colligere, in quibus agerent Synaxes . Et hæc non ſemel cœmeteria fuere; commodiora profecto multis illorum conventiculis, in quibus cum poſſent congregabantur. Eſt vero non ſatis acute ſcriptum quod adjicit Ciampinius , nimi- rum

(*a*) H. E. lib. 7. cap. 13.

rum incredibile eſſe, voluiſſe Ethnicos, genus hominum deliciis adprime deditum, cryptas & cœmeteria occupare & in his mortis penetralibus ac cavernis vitam traducere. Alio profecto ex capite, atque cauſſa omnino diverſa repetenda fuiſſet cœmeteriorum occupatio; ex odio nimirum in Chriſtianos, atque voluntate, qua perpetuo ſatagebant ne ii ſuos mandarent ſepulturæ. Audiatur de hoc Ethnicorum propoſito Lactantius, Diocletiani ſævitiam in deneganda mortuis ſepultura ita deſcribens (*a*). *Quis Caucaſus, quæ India, quæ Hyrcania, tam immanes tam ſanguinarias unquam beſtias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris ſaturitatem furit, fameque ſedata protinus conquieſcit. Illa eſt vera beſtia, cuius una juſſione*

Funditur ater ubique cruor, crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Nemo huius tantæ belluæ immanitatem poteſt pro merito deſcribere, quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis ſævit, & non tantum hominum artus diſſipat, ſed & oſſa ipſa comminuit, & in cineres furit, nequis ex-

(*a*) Lib. 5. Divin. Inſtit. cap. II.

extet ſepulturæ locus. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ inſania eſt, lucem vivis, terram mortuis denegaſſe. Et univerſim de omnibus Ethnicis queritur Ambroſius, eos direptis omnium facultatibus Chriſtianorum (*a*) *ipſos vitales anhelitus, & nullis unquam negatam defunctis, inhibuiſſe ſupremæ commercia ſepulturæ*; quæ etiam innuit non ſemel memorata Alexandri Martyris inſcriptio, & plane perſuadent pleraque ab Ethnicis in corpora Martyrum geſta, quæ (*b*)

Animus meminiſſe horret, luctuque refugit.

Nec alia ſane de cauſſa niſi ut Chriſtiani cinefactos, diſſipatos, ac ſubmerſos ſocios ſepelire non poſſent. Ac revera ubi potuerunt Chriſtianorum cœmeteria occupaverunt, Areas ſcilicet, hoc eſt planities ſatis amplas & ſpatioſas, in quibus etiam ſuos conſueverant agere conventus, & defunctos mandare ſepulturæ. Quod ut clarius exponatur, præmittendum eſt non omnia cœmeteria, ac ſepulcra Chriſtianorum intra abditos terræ ſinus fuiſſe excavata, ſed pleraque in terræ ſuperficie conſtituta. His areæ nomen in-

(*a*) Epiſt. contra Symmach. ad Valent. Imp.
(*b*) Virg. Æneid. I.

inditum erat, ſimilitudine ab areis prædiorum & villarum ſumta, quæ ideo areæ dicuntur, teſte Marco Varrone, (*a*) quia in illis frumenta jam falce reſecta teruntur, ſolaribusque ſubjecta radiis areſcunt. Hinc ſatis opportune ſepulcris ſuis huiuſce generis arearum nomen Chriſtiani quoque indiderunt; quod piorum ſcilicet hominum corpora inevitabili mortis falce inſtar frumenti reſecta, ſepulcrales inter cineres arefacta conſiſtant, ad diem tandem noviſſimum angelorum manibus intra beatitudinis horreum congerenda (*b*). Hæc ratio nominis Chriſtianis fuit. Quid eadem de re, nominisque origine Gentiles, & Grammatici veteres ſtatuerint, non vacat nunc temporis curioſius inveſtigare. His porro in locis areisque Chriſtianos ſuos habuiſſe conventus (*c*), & egiſſe Synaxes certiſſimum eſt, pluribus inconcuſſis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ do-

(*a*) De Ling. Lat. lib. 4. & Feſtus *V. Area*.
(*b*) Arringhius Rom. ſubterran. lib. I. cap. I.
(*c*) Euſebius lib. VII. H. E. cap. XI. pag. 293. edit. Taurin. Æmilianum Præfectum Chriſtianis dixiſſe ſcribit: *Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuſcumque aliis conventus agere, aut ea, quæ vocantur, Cœmeteria adire*. Hæc ſepulcra, ait Valeſius, latini areas dicebant, de quibus mentio in geſtis purgationis Cæciliani & Felicis.

documentis, quæ apud Euſebium legere eſt (*a*). Et ne Chriſtianos ſub dio ſacros agitaſſe conventus dicamus ſaltem eos qui ſacris operabantur myſteriis parvula in ædicula conſtitiſſe, quæ removeri ad libitum poſſet, ne ab Ethnicis detegeretur, conjicere non inepte poſſumus. Porro loca hæc, quorum occupatio facilis Ethnicis erat, ſæpe ſurripuerunt uti ex eodem Euſebio patet & clariſſimo Tertulliani teſtimonio (*b*): *ſub Hilariano præſide cum de areis ſepulturarum noſtrarum acclamaſſent: Areæ non ſint; areæ ipſorum non fuerunt*, indicans priori loco areas, ſepulturas ſcilicet Chriſtianorum; altero vero areas terendo tritico deſtinata, quod nullum divino conſilio collegerant; quod Chriſtianis areas, in quibus mortuos ſepeliebant, inique ſurripuiſſent.

Igitur quemadmodum Ethnici non alia de cauſsa Chriſtianorum areas, hoc eſt cœmeteria in terræ

ſu-

(*a*) Lib.cit.cap.XII.pag. 299. ubi Gallieni edictum refertur, Chriſtianis areas illas, ſeu cœmeteria reſtituentis. Vide etia Acta Proconſularia S. Cypriani, & Felli adnotationem in Epiſt. Cypriani ad Succeſſum.

(*b*) Lib. ad Scapulam Africæ Proconſulem cap. 3.

ſuperficie conſtituta occupaverunt, quam ut ſacros eorum cœtus, & defunctorum ſepulturam impedirent; ita pari propoſito ſe geſſiſſent, ſi alterius generis cœmeteria, cryptas ſcilicet, & catacumbas, occupaſſent. Fuit tamen hac in re Licinii conſilium ſingulare prorſus & callidum, Hic ſcilicet ut Eccleſias everteret Chriſtianorum, quas Conſtantini beneficio excitaverant, legem tulit qua jubebat (*a*), ut *ſolemnes populorum conventus extra portas in aperta planitie celebrarentur; aſſerens liberum extra portas aerem turbis longe commodiorem eſſe, quam Oratoria intra Urbem ſita*; probabiliori ſane ratione Lacædemones idem ſtatuerant, Plutarcho teſte (*b*). Siquidem Delphici Oraculi admonitione extra Urbem ſub dio conciones, & comitia Reipublicæ convocabant, ne ſigna ſcilicet, vel proſcenia Theatrorum aut laquearia fabrefacta eorum, qui convenerant, oculos mentemque avocarent. Quum igitur duplicis generis cœmeteria Chriſtianos habuiſſe compertum ſit; alia nimirum in aperta planitie conſtituta, quæ Areæ dicebantur, alia vero intra ter-

ræ

(*a*) Euſebius lib. I. de Vita Conſtant. cap. 52. pag. 470. edit. Taur.
(*b*) In Licurgo.

ræ viſcera excavata, *Cryptæ & Catacumbæ* dicta, plane vim ſummam verbis infert Ciampinius, & qui eumdem nuperrime ſecutus eſt præclarus vindex multitudinis primorum Chriſtianorum, dum contendit, cum legitur Chriſtianos ad cœmeteria conveniſſe, cuncta de eorum acceſſu ad areas eſſe intelligenda. Num ad areas acceſſerant, qui ſub Numeriano Cæſare mortui ſunt Chriſtiani? Atqui prohibent ut id dicamus clariſſima Scriptorum verba, quæ ſonant ingentem multitudinem Chriſtianorum in cryptam introiiſſe; juſſuque immani & crudeli Numeriani cryptæ foramine ſeu aditu occluſo, terraque ſupra dejecta, omnes vivos ſepultos interiiſſe. Num Chriſtianos, qui Alexandri tumulo epitaphium poſuere, adeo miſerabiliter fuiſſe queſtos dicemus & tempora infauſta vocaſſe quod illis ad areas non pateret acceſſus? atqui jure ac merito conquerebantur iſti, deflebantque temporum iniquitatem, quod ne in cavernis quidem ſalvi eſſent, & ſuos (quod ſumma cura ſemper procurarunt Chriſtiani ob fidem reſurrectionis) mandare non poſſent ſepulturæ. Hæc & alia igitur nulla ratione de areis exponi poſſunt, & errare eos vehementer oſtendunt, qui ingreſſus Chriſtianorum in cryptas pro aditu ad areas ſemper explicaverunt, aut ad ædiculas juxta Martyrum ſepulcra conſtitutas. Neque ex edictis Impe-

pe-

peratorum ab Euſebio exſcriptis de ablatione primum, tum de reſtitutione cœmeteriorum, ſeu arearum, ad eaſque adeundi conceſſione confirmari quis dicat Ciampinii ſententiam. Eſto enim non illibenter concedatur de areis in illis haberi ſermonem, non propterea eſt inferendum haud alio in loco, quam in illis Chriſtianos egiſſe conventus. Agitur de areis cœmeteriorum in edictis illis, quia Imperatores cognoverant frequentiorem præ cæteris Chriſtianorum ad eas aditum eſſe. Nec mirum. Nam non ita frequenter Chriſtiani habuerunt cryptas, & cœmeteria vaſta ſubterranea, cujuſmodi illa ſunt, quæ Romæ ad hanc uſque diem conſpiciuntur. Cauſſam hujuſce rei ſi poſtules reſpondebunt, qui primam illorum cœmeteriorum & cryptarum originem inveſtigaverunt, id Romæ ideo contigiſſe, quod primores Romanorum cum immenſæ molis ædes extruerent, ne camporum ſuperficies devaſtarentur, e terræ viſceribus excavari arenam juſſiſſe. Hinc *criptæ arenariæ*, quarum non acta Martyrum (*a*) tantum,

(*a*) In Actis SS. Marci & Marcelliani apud Boll. XX. Jan. in vita S. Sebaſtiani: *ſepulti ſunt via Appia milliario ſecundo ab Urbe in loco, qui vocatur ad arenas, quia cryptæ arenarum illic erant,* ex

tum, ſed Cicero etiam (*a*) & Svetonius meminere (*b*). Habuerunt aliis etiam in regionibus Neapoli præcipue, Chriſtiani hujuſmodi cryptas & ſubterranea loca. At quum temporum conditio, & ipſorum paupertas non ferret, ut ubique his ſimilia excavarent, aut jam incœpta continuarent, ſepeliebant in areis mortuos ſuos, in eaſque conveniebant, cum poterant, ad ſynaxes & Martyrum exuvias venerandas impetrandamque fidem, quam in certamine glorioſo incorruptam conſervarent.

Sed vero proſequitur Ciampinius commoratio in cryptis illis ac cœmeteriis concedi nullo modo poteſt. Brevem moram in illis vix licet thraere, diebus præcipue fervidioribus, quales longior in Urbe æſtas habet. Experimento comprobatum fuit homines naturæ robuſtioris moram continuam horæ unius vix absque periculo lethalis morbi ſub æſtate expleviſſe. Non miratur proinde ſi & ipſe idem æſtivo tempore in cry-

ex quibus Urbis mœnia ſtruebantur. Vide Severanum de ſeptem Urbis eccleſiis, Ducangii Gloſſarium V. *Arenaria*, Baronium ad 286. num. 33. & Florentinium exercit. ad III. Kal. Junias Martyrolog. pag. 115.

(*a*) Orat. pro Cluentio.

(*b*) In Nerone.

cryptas illas ingreſſus repentino, intimoque frigore correptus ſtatim abire coactus ſit. Narrat inde pleuritides, & alia genera morborum, quæ ſepulcrorum curioſi contraxerunt, & adjecta reſpirandi difficultate infert impoſſibile judicandam in cœmeteriis urbis cryptiſque moram. Variis momentis elidi tota hæc diſputatio poteſt, & terrificus primorum, noſtrorumque temporum ad cryptas & cœmeteria ingreſſus diſſipari. Eſto enim concedatur rem modo periculi plenam eſſe æſtivis diebus Romanas perluſtrare cryptas, id tamen de reliquis anni partibus adſeri non poteſt. Itaque ſi non æſtate, ſaltem vere, hyeme, aut autumno poterant Chriſtiani, qui ſumma agendarum ſynaxeωn cura agebantur, cœmeteria illa penetrare, acceptamque Euchariſtiam proprias ad ædes deferre, uti revera feciſſe oſtenſum eſt. Deinde nec Ciampinius, nec ii, quibus ejus ſententia placet, negare audebunt nunc certum, ac indubitatum judicium ferri non poſſe de aeris, cœlique temperie, qua Romani illis temporibus perfruebantur. Experientia comprobatum eſt mutari illam ſæpius, augeri craſſitiem aeris, aliaque in atmosphæra perſæpe contingere, quibus calores, ac frigora quoque aut remittuntur, aut mirum in modum augentur. Itaque ex iis, quæ in hiſce rebus hodie contingunt, argumentum firmum ſumi non

poteſt ad ea adſerenda, quæ a decem fere & quinque ſæculis contigerunt. Ac revera frigus tam immane, quale Ciampinius narrat, primis temporibus, de quibus ſolum diſputamus, in cryptis illis non exſtitiſſe, perſuadere videntur illorum narrationes, quibus frequentiſſimi primorum Chriſtianorum ad cœmeteria concurſus deſcribuntur. Prudentium audiamus hac de re ita canentem (*a*)

Mane ſalutatum concurritur: omnis adorat
Pubis; eunt, redeunt, ſolis aduſque obitum.
Conglobat in cuneum latios ſimul ac peregrinos
Permixtim populos Relligionis amor.
Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo
Balſama defundunt, fletibus ora rigant.
Jam quum ſe renovat decurſis menſibus annus
Natalemqae diem paſſio feſta refert
Quanta putas ſtudiis certantibus agmina cogi
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs auguſta ſuos vomit effunditque Quirites
Una & Patricios ambitione pari.
Confundit plebeja phalanx umbonibus æquis
Diſcrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies ſe candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Ex-

(*a*) Hymno XI.

Exſultant fremitus variarum hinc inde viarum
Indigena & Picens, plebs & etruſca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator & altæ
Campanus Capuæ, jamque Nolanus adeſt.
Quique ſua lætus cum conjuge, dulcibus & cum
Pignoribus, rapidum carpere geſtit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi
Hæret & in magnis denſa cohors ſpatiis.

Si infinita hæc populorum copia, quæ recurrentibus Martyrum natalitiis ad eorumdem cœmeteria & cryptas vel a longinquis regionibus ſe conferebat, pleuritides aliaque mala, ac præcipue frigus illud, quo Ciampinius correptus eſt, fuiſſet experta, quid fuiſſe facturam dicemus? Num multos annos, ut contigit, ſancto illo in propoſito uſuque perſtitiſſet? Sed & Hieronymus nulla illorum periculorum mentione facta, eadem cœmeteria ſe frequentaſſe ſcribit (*a*) inquiens: *Dum eſſem Romæ puer & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis & propoſiti, diebus Dominicis ſepulcra Apoſtolorum & Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſe-*

(*a*) In cap. 40. Ezechielis.

ſepultorum & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Deſcendunt in infernum viventes. *Et vero deſuper lumen admiſſum horrorem temperat tenebrarum, ut non tam feneſtram, quam foramen demiſſi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur*

Horror ubique animos ſimul ipſa ſilentia terrent

Hæc Hieronymus, qui non amore ludendi cum pueris ac ſociis per ea loca reptabat, uti illepide ſcriptitavit Baſnagius (*a*) ſed recolendarum SS. Martyrum exuviarum cauſſa obſcuriſſimas illas cryptas ingrediebatur. Sed vero illud Baſnagio forte diſplicebat dogma, quod illo ex frequenti veterum Chriſtianorum ad cœmeteria concurſu colligitur & ſtabilitur. Illa enim erga Martyres veneratio, ac deſiderium ad eorum ſepulcra concedendi, ex eo fidei capite proficiſcebatur, qua Sanctorum Communionem credimus & confitemur. Chriſtiani enim ut hoc dogma factis proſequerentur ea in loca ad orationem ſacrorumque myſteriorum participationem avide conve-

(*a*) Hiſt. Eccleſ. lib. 18. cap. 6. num. VIII. *S. Jerome dit que lors qu' il etoit jeune, il alloit jouer avec les enfans de ſon âge dans les ſepulcres des Apôtres & les cavernes ou les martyrs etoient enterrez.*

veniebant, in quibus Sanctorum lipſana quieſcebant, ut ea ratione, quam permittit ſtatus defunctorum, cum illis communicarent, modum ediſcerent quo fides proteſtanda eſſet, ac fortitudinem denique ad id faciundum conſequerentur. Per illa ſane Martyrum lipſana repræſentatur Eccleſia triumphans, quæ ſic aliquo modo cum militanti communicat, & ſacrificio noſtro intereſt; nam licet ipſa lipſana, atque oſſa Sanctorum, uti notat Card. Bona (*a*) abſente anima ſenſu careant, dicunt nihilominus reſpectum ad animam, quæ in cœlis eſt, & ipſis ineſt ſemen reſurrectionis, & æternitatis. Hac de cauſſa Patres veteris Eccleſiæ orthodoxos epiſcopos ſub altari conſueverant ſepelire, ut cum ipſis ſacrificia & ordinationes fierent; quia ad ſervandam fidei unitatem, & ad legitimam ſucceſſionem indicandam, viventis Epiſcopi cum anteceſſore defuncto communionem neceſſariam putabant, ut pius doctuſque Cardinalis concludit. Quod uberius Chriſtiani, profligato ethniciſmo, declaraverunt. Quum enim tum liceret palam & ubique Chriſto Deo templa erigere, eadem etiam ſuper Martyrum tumulos erexerunt. Hinc aliquot Eccleſiæ *Martyria* dicta. De Ara ſuper Hip-

(*a*) Rer. Liturg. lib. I. cap. 19. num. 5.

Hippolyti Martyris ſepulcro excitata ita Prudentius canebat (*a*).

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi adpoſita eſt ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix menſa, eademque
Cuſtos fida ſui martyris adpoſita.
Servat ad æterni ſpem judicis oſſa ſepulcro
Paſcit idem ſanctos Tibricolas dapibus.

Magis porro, ac magis confirmant veterum Chriſtianorum moras in cœmeteriis cryptisque cum Agapæ, quas ibidem caſtiſſime celebrabant, tum picturæ, quibus cœmeteria exornata ſunt. Ac de Agapis quidem ſi loqui velimus, has in Martyrum natalitiis celebratas fuiſſe in cœmeteriis demonſtrant clariſſime hujuſmodi convivia in fornicibus depicta apud Boſium, Arringhium, Boldettum, Mamachium & alios. Videas hiſce in picturis Irenis & Agapis, ceu duorum convivarum figuras, quibus ſignificare proculdubio voluere Chriſtiani pacem & dilectionem ſuis in conviviis principem locum obtinuiſſe. Videas in Callixſti cœmeterio apud Arringhium (*b*) pictos

(*a*) Hymno cit.
(*b*) Rom. ſubterr. lib. 3. cap. 22. Tab. IV. & tom. 2. lib. 6. cap. 9. num. 7.

ctos homines, decuſſatos panes, Euchariſtiæ ſcilicet ſymbolum, pleno ſinu deferentes. Sed rem ab iſtis fuſius pertractatam aliis verbis verſare non eſt neceſſe. Sufficiat obſervaſſe has agapas iisdem fere in locis celebratas fuiſſe, in quibus diſtribuebatur Euchariſtia. Cumque hanc etiam in cœmeteriis cryptiſque oblatam fuiſſe non contemnendis hactenus demonſtratum ſit argumentis, non inepte concludimus his etiam in locis convivia & agapas, eas præſertim, quæ in Martyrum natalitiis ſolebant celebrari, (*a*) Chriſtianos egiſſe. Sed quod ad rem, quam verſamus, proprius adtinet, ibidem tunc commorari artifices, ac pictores potuiſſe colligitur ex hujuſcemodi picturis & aliis ornamentis, quibus diſtincta cœmeteria cryptaſque fore patet ex citatis ſcriptoribus. Prudentius in Hymno pluries laudato, S. Hippolyti martyrii hiſtoriam in illius cœmeterio depictam fuiſſe his carminibus ſignificat.

Exemplar ſceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta ſuper tumulum ſpecies liquidis viget umbris
Effigians tracti membra cruenta viri.

Ro-

(*a*) Carm. X. Gregor. Nazianz. S. Jo. Chryſoſt. Hom. 40. ad populum perſuadere eidem vellens aga-

Rorantes ſaxorum apices vidi optime Papa,
Purpureaſque notas vepribus impoſitas.
Docta manus virides imitando effingere dumos,
Luſerat, & minio ruſſeolam ſaniem.
Cernere erat ruptis compagibus ordine nullo
Membra per incertos ſparſa jacere ſitus.
Addiderat caros, greſſu lacrymiſque ſequentes
Devia qua fractum ſemita monſtrat iter.

Quum vero hæc pictura, inquit Joannes Lamius, (*a*) in cryptis ſubterraneis eſſet, quo ſe Chriſtiani, ethnicis in eos ſœvientibus ad laudandum Deum conferebant, inveroſimile non eſt, eam illa ipſa ætate elaboratam fuiſſe, qua vel perſequutio ipſa ferociebat. Quod etiam teſtimoniis Svetonii, Lampridii, Dionis Caſſii con

agapas, ab Chriſtianis in cœmeteriis celebratas, innocentes caſtaſque fuiſſe contra ac aliqui dictitabant, ita loquitur. *Hi quidem in monumentis & ſepulcris, hi vero in deſertis habitabant: mulieres tenues & delicatulæ continua fame detinebantur. Itaque cogita ſi qua tunc pretioſi ſumtus, ſiqua deliciarum erat delectatio. Subiit ne concupiſcentia unquam mulierem in ſepulcro latentem, & expectantem ancillulam, ut veniat prandium afferens, & ne forte deprehenſa ſit trepidantem & in timore tamquam in fornace jacentem?*

(*a*) De erudit. Apoſtol. pag. 315. cit. 2. edit.

confirmari poſſet. Quibus ſi adjungas parvulas cellulas, aliaque ad ſacrorum uſum pertinentia, non brevi manu in cœmeteriis elaborata, tuto concludi poſſe videtur non unius horæ fuiſſe artificum & Chriſtianorum in cœmeteriis moram.

Neque novum, aut inſolitum eſt homines in cavernis cryptisque latitaſſe. De Hebræis ſcribit Dio Caſſius cædibus & armis Hadriani perterritos auxilia ſibi fuga comparaſſe in ſubterraneis cryptis, fodiſſe ſpecus, muniiſſe omnia cuniculis, & excavaſſe in imis terræ viſceribus cavernas quibusdam in locis hiantes ad excipiendam lucem eo modo, quo perforatas fuiſſe Chriſtianorum criptas manifeſtiſſime vidimus. Habemus etiam ex Matthæo, (*a*) Luca (*b*) & Marco (*c*) dæmoniacos illos, quos Chriſtus priſtinæ reſtituit ſanitati in regione Geraſenorum habitaſſe *in ſepulcris & monumentis*. Idem de iis dicendum eſt, quibus interdixit (*d*) Illiberitanum Concilium, ne cereos in cœmeteriis ac-

(*a*) Cap. 8.
(*b*) Cap. 8.
(*c*) Cap. 5.
(*a*) Canone III. Vide Alpaſpinæi notas in hunc canon. & Henricum Spondanum de Sac. Cœmet. lib. 1. p. III. cap. 20, pag. 321.

accederent, aut vigilarent. S. Tatianum Turonenſium Apoſtolum in cryptis & latibulis diei Dominicæ ſolemnitatem celebrare conſueviſſe Gregorius Turonenſis ſcribit (*a*). Et univerſim de multis gentibus, quibus intra viſcera terræ conſiſtere, & in ſepulcris latitare mos erat, multa confinxerunt poetæ, Lucanus (*b*) præſertim & Apulejus magiæ ſtudioſiſſimus (*c*). Et ut ad Chriſtianos revertamur objiciebat olim iiſdem Julianus Apoſtata: *In ſepulcris & ſpeluncis dormiunt propter inſomnia*, cui reſpondebat Cyrillus *digniſſimum hoc plane apoſtata viro, ac penitus delirante ſomnium fuiſſe*; putabat ſcilicet Julianus Chriſtianos more gentilium perſtare ad tumulos, & aberrantium animas evocare ad futura cognoſcenda; qualis fuit Erictho, maga inſignis, quæ rogatu Pompeji militis nuper occiſi animam ut belli eventum cognoſceret, evocaſſe apud Lucanum dicitur, quando

Adſpicit adſtantem projecti corporis umbram
Exanimes artus, inviſaque clauſtra timentem
Carceris antiqui; pavet ire in pectus apertum
Viſceraque & ruptas lethali vulnere fibras.

Ab

(*a*) Lib. 10. Hiſt. Franc. cap. 31.
(*b*) Lib. 6.
(*c*) Lib. 3. Metamor.

Ah miſer extremum, cui mortis munus iniquæ
Eripitur non poſſe mori!

Ergo quod de ſanctis nonnullis veteris Inſtrumenti dixit Paullus ad Hebræos ſcribens *in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis; & in cavernis terræ*, id de multis Chriſtianis tempore perſequutionum aſſerendum eſt, quin negemus tamen plures fame, pædore, cæteriſque ærumnis confectos vitam finiviſſe. Sed pleraſque afflictiones Chriſtianorum multi ſuperavere, a divina providentia, etſi procul ab omni hominum conſortio & ſocietate poſiti, adjuti & confortati, quemadmodum S. Felix, de quo ita S. Paulinus cecinit. (*a*)

Sex illum totos perhibent ex ordine menſes
Expertem cœtus hominum vixiſſe ſub illa
Culminis obſcuri ſimul anguſtique latebra,
Nil opis humanæ indiguum, ſolamine Chriſti
Semper abundantem, qui tempore fertur in illo
Sæpe illum ſermone ſuo dignatus adiſſe:
Sæpe ſua paviſſe manu, cœloque dediſſe
Pocula, non pluvialis aquæ, quam nubila paſſim
Omnibus effundunt, ſed quem ſpecialiter uni
Gra-

(*a*) Natali V.

Gratia Felici mittebat ab æthere rorem;
Nam nimis, ut ſit, tunc torrida ſolibus æſtas
Et puteum quoque ſiccarat, qui parca latenti
Pocula præbuerat. Sed ne ſitis ureret illum
Carnea, qui Chriſtum ſitiendo, ferebat & iſtam
Corporis afflicti pœnam, delata ſereno
Inque globum tenuis nubes collecta per arctam
Impluvii, dulcem ſitientis in ora liquorem
Infudit quaſi preſſa manu, cœloque vocandum
Velleris ætherei ſucco lactante refecit.
Quid mirum ſi nunc terrena labe ſolutum
Chriſtus alat poſitum, quem in corpore ſanctus alebat
Spiritus; & cui panis erat verbum Deus ipſe
Cœleſtum panis, quo veſcitur Angelus omnis?

Sed Ciampinius veroſimiliora & maxime probabilia, ut ipſe ait, proponens contendit ſuper iiſdem cœmeteriis, vel prope eorum ambitum parva ædificia conſtructa fuiſſe, quæ altaria, confeſſiones, memoriæ & martyria ſint nuncupata, quæque deinde ad amplitudinem excreverint Eccleſiarum. Hoc modo explicandos eſſe cenſet ſcriptores illos, qui Chriſtianos aut ad cœmeteria adiiſſe, aut in iiſdem narrant latitaſſe. Id totum mirifice elucere arbitratur ex quibuſdam Martyrum actis, quorum tamen aliqua ejus opinionem evertunt. Atque cum primis quamquam negandum haud ſit ſuper martyrum tu-

mu-

mulos aras, & Eccleſias fuiſſe conſtructas, id tamen rariſſime contigiſſe tempore inſignium perſequutionum, aut cum edicta vigerent deſtruendarum Eccleſiarum quivis facile conſentiet. Quæ tunc ſunt forte extructæ Eccleſiæ circum cœmeteria, ſigna fuerunt Eccleſiarum potius, quam ædes multis Chriſtianis continendis idoneæ. Ita Chriſtiani illi, qui B. Hilariam in ejuſdem horto ſepelliverunt, dicuntur extruxiſſe ſuper eam *breviſſimam Eccleſiam* (*a*). Sed neque hoc frequenter adgredi conceſſum erat, vigente perſequutione, ut iis contigit, qui cum corpora SS. Primi & Feliciani in arenario ad arcus Numentanos ſepulturæ mandaviſſent, nonniſi ſedata perſequutione Eccleſiam in illorum Martyrum honorem potuerunt ædificare (*b*): *& dum poſt aliquos annos ceſſaret perſequutio Paganorum multi Chriſtiani in honorem Beatorum Martyrum Primi & Feliciani Baſilicam conſtruxerunt*. &c. Idem eruitur ex actis Paſſionis S. Bonifacii, quæ ex Holſtenio ipſe recitat Ciampinius. Etſi igitur antiquiſſimus fuerit uſus Chriſtianorum ſupra Martyrum ſepulturas Eccleſias ædificandi, impedien-

(*a*) Apud Arringhium ex actis SS. Chryſanthi & Dariæ tom. 2. lib. 4. cap. 32. num. 1. *Romæ ſubterr.*
(*b*) Apud eumd. cap. 23.

dientibus tamen Cæſareis Edictis ad tempus ceſſaviſſe abſque erroris formidine ſtatuendum eſt. Tunc potius crederem cœmeteria cryptaſque exornatas fuiſſe a Romanis Pontificibus, ac præſertim a Fabiano ſub Decio; hoc eſt medio ſæculo tertio. De illo namque Pontifice legitur in libro Pontificali: *Hic multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit*: cubicula ſcilicet interna, abſides, & aras intra ipſa cœmeteria, ut ſenſus verborum Libri Pontificalis videtur poſtulare, non *ſupra cœmeteria vel prope*, uti Ciampinio placet. Tunc temporis ſcilicet prohibitos Pontifices a ſacris celebrandis conventibus extruendiſque Eccleſiis curam in eorundem cœmeteriorum exornatione poſuiſſe credibile admodum eſt; maxime quum id ſine minori periculo fieri poſſet, non ita frequenter multis videntibus aut quærentibus quid intra viſcera terræ, atque cavernas Chriſtiani mollirentur. Obſervat etiam Blanchinius (*a*) ante Zephyrinum ſolitos fuiſſe RR. Pontifices ut plurimum habere ordinationes in Cœmeterio Vaticano, ibique recondi cum vita perfuncti eſſent. Sed vero ſtatim ac loci celebritas paulo notior ethnicis eſt facta ſub Antoninis, qui mitiore in Chriſtianos erant animo,

(*a*) In Marcello ſect. XXXI. pag. 266. & ſeqq.

mo, in proxima perſequutione ſub Severo Principe nimis periculoſa & expoſita evaſit. Quare Zephyrinus & Calliſtus ad viam Appiam, Triumphali fere ex diametro oppoſitam (in qua Vaticanum Cœmeterium occurit) nova cœmeteria ſimul & concilia Mm. aperuerunt, ubi egere Synaxes & baptiſma ſubinde adminiſtrarunt Urbanus, Pontianus, Cornelius, Stephanus & alii. Fabianus autem quum cœmeteria exornaviſſet, uti modo diximus, catacumbas illas & concilia Mm. in cœmeterio Callixti videtur nimium nota reddidiſſe. Percrebuit ita ſub Cornelio, & Stephano ejus proximis ſucceſſoribus notitia illius cœmeterii, ut Stephanus ipſe Pontifex deprehenſus a ſatellitibus cum ſolemnia myſteriorum perageret, eidem caput amputatum fuerit in ſua ſede iiſdem in cryptis conſtituta. Nova proinde ac tutiora perfugia, novas latebras, Stephani ſucceſſores quæſivere ſub Decio & Valeriano aliiſque principibus, qui Chriſtianos præ cæteris exagitarunt. Ex quibus non male quis inferre poteſt tutos haud ſemper fuiſſe habitos circum cœmeteria conventus Chriſtianorum, & loca eorumdem ſæpiſſime mutari oportuiſſe, ac proinde frequentius & paulo ſecurius in iiſdem terræ viſceribus & arenariis Chriſtianos fuiſſe congregatos. Sed eſto ædiculas alicubi prope cœmeteria habuiſſe Pontifices, in

iiſque latitaſſe concedamus, tamen non ſemper ædiculis cingebantur, & aliunde Chriſtianorum multitudinem, qualem exempli gratia interemtam fuiſſe ſub Numeriano adnotavimus, ad has acceſſum habuiſſe, in iiſque fuiſſe exceptam ad ſynaxin, perſuadere vix poterit Ciampinius. Res eſt veroſimilior & adductis hactenus momentis conformior, ſtatis quibusdam Synaxeon diebus collegiſſe Presbyteros intra cœmeteria Chriſtianos, verba ad ipſos feciſſe, & panem Euchariſticum diſtribuiſſe. Suadent id ampla dormitoria cryptarum, erectæ aræ, ipſæque ſedes Pontificum, quos etiam in maximo furore perſequutionum aliquando ibidem moram traxiſſe, (*a*) ut & Chriſtianos ad certamina pro fide præpararent, & furiales tyrannorum iras effugerent, indicabat S. Damaſus qui initium Epitaphii quod S. Sebaſtiani cryptis appoſuit, hoc verſu exorſus eſt

Hic habitaſſe prius Sanctos cognoſcere debes.

Quæ

(*a*) Ex Pontificum numero, qui in cryptis, ac cœmeteriis latitarunt, commendantur præſertim Callixtus, Urbanus, Pontianus, Antherus, Alexander I. Fabianus, Cornelius, Stephanus, Sixtus II., Cajus, Liberius, Bonifacius, Joannes III. & alii, quorum geſta veteres Scriptores prodiderunt. Vide etiam Baronium ad ann. C. 122. 261. 296. &c.

Quæ & Ciampinius vel invitus videtur conceſſiſſe; dum affirmavit Chriſtifideles primævos ſubiiſſe cryptas & cœmeteria, ubi Martyrum ſacra pignora ſervabantur, eademque ſumma veneratione coluiſſe. Jam ſi hoc feciſſe Chriſtianos Ciampinius fateatur, non video cur iiſdem in locis fieri ſynaxes potuiſſe poſtea pernegaverit.

Vidimus hactenus, quæ Ciampinius congeſſit, neminem plane perſuadere poſſe Chriſtianos ſynaxes ſuas in Cœmeteriis haud egiſſe. Excutienda num forent, quæ vir clariſſimus Caſtus Innocens Anſaldus nuperrime expoſuit in Ciampinii ſententiæ confirmationem (*a*). Sed cum in eo præcipue vir doctus operam poſuerit, ut Gallieni edictum ab Euſebio recitatum (*b*) inluſtraret, demonſtraretque cœmeteria, quorum ab Euſebio mentio fit, nonniſi areas fuiſſe, plateas ſcilicet amplas & ſpatioſas; ac proinde ad has Chriſtianos conveniſſe, vel ad ædes cœmeteriis proximas; quæ omnia adverſus Ciampinium jam expendimus, plura addere ſuperflua res

(*a*) In egregio Commentario, cui titulus *Multitudo maxima eorum, qui primis Eccleſiæ ſeculis Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt &c.* cap. 8. pag. 150. & ſeqq.

(*b*) Lib. 7. cap. 13. H. E.

res eſſet. Obſervamus tantum male Baſnagium, cujus argumento exterritus Anſaldus Ciampinii ſententiam complexus eſt, ex eo quod primi Chriſtiani in cœmeteria ſe reciperent, pauciſſimum hinc eorum numerum collegiſſe. Nam ſive de areis, ſive de cœmeteiis Imperatorum edicta intelligantur, neutrum legitime deduci poteſt. Erant areæ amplæ ſatis, & magnum Chriſtianorum numerum continere poterant. Erant ampliora cœmeteria, ad quam ſæpe *infinitam populi multitudinem* conveniſſe tempore Numeriani Cæſaris novimus. Atque id præcipue de cœmeteriis Romanis intelligi volumus, de quorum vaſtitate & amplitudine ita ſcribit magnus Baronius (*a*). *Vidimus ſæpiuſque luſtravimus Priſcillæ Cœmeterium, haud pridem inventum atque refoſſum via Salaria tertio ab Urbe lapide: quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ ejus amplitudine, multiſque atque diverſis ejuſdem viis, quam ſubterraneam civitatem: quippe quod ipſius ingreſſu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde vias diverſas habeat, eaſdemque frequentes, quæ rurſus in diverſos viculos dividantur & angiportus: rurſus ut in civitatibus, ſtatis locis velut fora quæ-*

(*b*) Ad A. C. 130. num. 11.

quædam, ampliora ſint ſpatia ad conventus ſacros agendos, eademque ſanctorum imaginibus exornata, nec deſint, licet nunc obſtructa, ad lumen recipiendum deſuper exciſa foramina: Obſtupuit Urbs cum in ſuis ſuburbiis abditas ſe novit habere civitates, Chriſtianorum tempore perſecutionis olim Colonias, modo autem ſepulcris tantum refertas. Alia cœmeteria & quidem ampliſſima deſcripſerunt Baronius ipſe, Boſius, Arringhius, Boldettus, Bottarius & alii, ut inepte omnino ex Chriſtianorum ad illa acceſſu & mora paucitas inferri Chriſtianorum poſſit. Ac licet non ubique adeo ampla eſſent uti Romana, erant in ſingulis tamen urbibus lociſque multa, ut continendæ multitudini Chriſtianorum prorſus ſufficerent. In illis igitur Chriſtiani latibulis ſævientibus maxime perſequutionibus langueſcere coacti, mœroremque duro ſilentio premere, abſconditi morabantur plerique, ut hoc etiam modo perſecutorum ex animis effræne averuncarent odium, neve majores cierent iras;

Nam miſeris nec flere quidem aut lenire dolorem
Colloquiis impune licet.

CAPUT XVIII.

Chriſtiani a celebrandis Synaxibus prohibiti Domi habebant Euchariſtiam, quam tum temporis omnes lotis, nudiſque manibus recipiebant.

OBſervavimus hactenus loca, in quibus primi Chriſtiani ſacras egerunt Synaxes. Quia tamen non ſemper aut in areas, & cryptas ſe recipere, aut privatis in ædibus cœtus agitare poterant, aut nullibi denique congregari, habebant iidem ſecum in domibus Euchariſtiam ipſis delatam a Presbyteris, vel ante perſequutionem in ſacris ædibus exceptam, quam venerarentur, & pro neceſſitate ſumerent, dum

Vitam in tenebris luctuque trahebant.

Hujuſce moris meminit Baſilius ſcribens ad Cæſariam Patriciam: *Quod autem perſecutionum temporibus cogitur quis, abſente ſacerdote, aut Diacono, Communionem ſua ipſius manu accipere,*

re, id grave non eſſe ſupervacaneum eſt oſtendere; quia hoc diuturna conſuetudo ipſis rebus confirmat. Quæ confirmantur Tertulliani, & Juſtini Martyris teſtimoniis ſupra recitatis, ac etiam Hieronymi, qui ſua ætate domeſticam Communionem in uſu fuiſſe his verbis videtur indicare (*a*), *ſcio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant, quod nec reprehendo nec probo: unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundet, ſed ipſorum conſcientias convenio, qui eodem die poſt coitum communicant & juxta Perſium* (*b*),

- - - Noctem flumine purgant.

Quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Eccleſias? an alius in publico alius in domo Chriſtus eſt? Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet. Sive autem Euchariſtiam ſacris in cœtibus ſumerent, ſive delatam ab ſacerdotibus domi reconderent, nudis eam manibus excepiſſe veroſimilius eſt. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi V. myſtagogica, quæ eſt de ſacra Litur-

(*a*) Epiſt. 48. ad Pammachium, alias 154. Conſule Menardum Not. 1042. ad Sacrament. Greg.
(*b*) Satyra 2.

Liturgia modum rituſque ſuſcipientium Euchariſtiam ita deſcribit. *Accedens autem ad communionem non expanſis manuum volis accede, neque digitis disjunctis, ſed ſiniſtra veluti ſedem quandam efficias dexteræ quæ tantum regem ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe Corpus Chriſti dicens Amen*. Idem decretum tulit Sexta Synodus (*a*) & Paullus Paciaudius Hagiothecium edidit (*b*), in quo S. Maria Ægyptiaca eo modo ac figura exprimitur, Corporis & Sanguinis Chriſti vivifica dona a Zoſima Abbate excipiens Nuda etiam manu fuiſſe exceptam ex viri cujuſdam facto, a Cypriano memorato, conſtat (*c*) nam ille quum ſe idolothytis prius maculaviſſet, ad ſumendam Euchariſtiam poſtea acceſſit, apertiſque inde manibus præter cineres nihil invenit, *Sanctum Domini edere & contrectare non potuit; cinerem ferre ſe apertis manibus invenit*. Atqui ii Patres, qui hoc modo ſanxerunt recipiendam eſſe Euchariſtiam, nihil adverſum ſtabiliviſſe dicendi ſunt ſummæ illi reverentiæ, qua erga Euchariſtiam jugiter affecti fue-

(*a*) Canon. 103.
(*b*) Diſſ. IX. de Cultu S. Joannis Baptiſtæ &c. pag. 389.
(*c*) Lib. de Lapſis pag. 450. edit. Ven.

fuerunt primi Chriſtiani. *Noſtis*, ajebat Origenes (*a*) *qui divinis myſteriis intereſſe conſueviſtis; quod cum ſuſcipitis Corpus Domini cum omni cautela, & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur*. Eadem innuunt Græcorum, & Latinorum Veterum Liturgiæ, quæ ex perpetuis & vetuſtis Eccleſiæ utriuſque traditionibus manaverunt. Ac quidem ut nuda manu Euchariſtia ſumeretur, congruum Patribus viſum eſt, qui hac ratione Chriſtianos a cœdibus, ab idolorum cultu, a rapinis, aliiſque ſceleribus avocare, atque abſterrere nitebantur, veriſſima oratione Chriſtianos ſæpe admonendo, ne qui manibus attrectarent ſacro-ſanctam Euchariſtiam, iiſdem poſtea ad ſcelera abuterentur (*b*). Cogitabant

(*a*) Homil. 13. in Exodum.

(*b*) Cyprianus lib. de lapſis pag. 377. edit. Venet. 1728. Gregorius Nazianzenus de ornatu Mulierum tom. 2. Opp. Hinc Ambroſius Theodoſium immanis ſeptem millium Theſſalonicenſium hominum cædis reum, ſibique obvium hiſce verbis excepit, referente Theodoreto lib. 5. cap. 18. *Quomodo manus extenſurus es injuſte cæſorum ſanguine adhuc ſtillantes? Quomodo ſacro-ſanctum Domini corpus ejuſmodi manibus excepturus es? Quomodo pretioſum ſanguinem admoturus es ori tuo, qui verbo furoris tui tot hominum ſanguinem injuſte effudiſti?* Gre-

bant etiam manum hominis, ad Dei immaginem facti, cuivis eſſe corporeæ materiæ, aut inſtrumento præferendam. Quo momento perſuaſi Trullanæ Synodi Patres quorumdam divitum, & hominum ambitioſorum inventa perſtrinxerunt, qui Euchariſtiam in pretioſis receptaculis accipiebant. *Si quis* inquiunt (*a*) *immaculati Corporis in ſynaxis tempore eſſe particeps voluerit, & offerre ſe ad communionem, manus in crucis formam figurans ſic accedat & gratiæ communionem accipiat. Eos enim qui ex auro, vel alia materia, quædam loco manus receptacula efficiunt, & per ipſam immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam ſubjectamque materiam Dei immagini præferant*. Qua etiam ratione ductus Lucianus Martyr, ſe rem haud ingratam Deo facturum credidit, ſi in carcere altari menſaque carens, ſupra proprium pectus conſecraret Euchariſtiam. Hæc conſtans & perpetua Orientalium diſciplina fuit, ut ſcilicet, nudas manus ad recipiendum panem Euchariſticum extenderent. In Occidente primis ſeculis variam diſciplinam de hac re exti-

Gregorius Theologus epigramm. CLIX. pag. 151. Anecdot. Græcor. Muratorii, aliique Patres multi.

(*a*) Canon. 101.

titiſſe pleriſque perſuaſum eſt ex quibuſdam Conciliorum (*a*) & Patrum (*b*) decretis, quibus jubentur fœminæ cum *Dominicali* ſeu velo albo ad Eccleſiam accedere, ſubjectiſque eidem manibus communionem accipere. Sed hæc recentiora ſunt, quam ut diſciplinam veterem monſtrare poſſint, tum varia rerum earumdem lectio eſt (*c*) apud diverſos ſcriptores. Sane *Dominicalis* nullum veſtigium adparet eo in vetuſtiſſimo Hagiothecio, cujus meminimus, nec illius ullam mentionem fecit Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum cum ordinem præſcripſit communionis, monuitque ſolum mulieres *ne operto capite, ut ordinem earum decet, accedant*. Quod velum non ſubtile eſſe debebat, qua-

(*a*) Concilium Antiſſiodorenſe A. 578. celeb.

(*b*) Serm. 252. de tempore Auguſtini, ſeu verius Cæſarii qui vixit, ſæculo ſexto.

(*c*) Baluzius Concilii Antiſſiodorenſis canonem ita legit ex antiquo codice *ſi mulier communicans Dominicale ſuum ſuper caput non habuerit, uſque in alium diem dominicum non communicet*. De *Dominicali* vide Caſalium de Sacr. Chriſt. Ritib. cap. XIV. pag. 91. Dufreſnium in Gloſſario tom. 2. p. 1523. Bonam lib. 2. c. 17. num. 9. rer. liturg. Rainaudum *de ſobria muliere* cap. 7. Thierſium in Tract. de expoſ. Sanctiſſimi Sacramenti, Berlendium de ſac. Oblationibus *&c.*

quale quarumdam virginum erat, quas reprehendit Tertullianus (*a*) quia *illex eſt libidinis, & acuit curioſitatem proprius videndi ſubcandicantem ſub eo cutem*. Cenſemus proinde virorum juxta ac mulierum parem fuiſſe in recipienda Euchariſtia conſuetudinem primis temporibus; quæ poſtea vero de *Dominicali* fœminarum inducta ſunt, aut de velo, quo juxta Apoſtoli mandatum velare caput ſuum mulieres debent, eſſe intelligenda, aut ſi alicubi Dominicali receperunt Euchariſtiam ſerius id fuiſſe mandatum, nec univerſalem, receptamque oſtendere conſuetudinem Eccleſiarum. Laviſſe autem manus ſuas Chriſtianos omnes antequam communicarent Chriſti corpori non eſt pluribus oſtendendum. Nam qui antequam orationem inciperent (*b*) id in more poſitum habebant, neglexiſſe ne fas erit dicere cum Euchariſtiam manibus attrectarent? Altius illorum cordibus, quam cæterorum illud erat inditum Heſiodi *Illotis manibus ſacra tractare nefas eſt*. Sacerdotum apud Judæos mos abluendi manus antequam ſacra contingerent, Deo jubente commendatus, notiſſimus eſt. Idem antequam ſacra ſua ſed profana attrectarent

(*a*) Lib. de Veland. Virgin. cap. 2.
(*b*) Epiſt. 1. ad Thimot.

rent Ethnici facere conſueverant. Plurima exempla proſtant apud Theophraſtum, Macrobium, Homerum, Perſium, Juvenalem, Plautum, Sophoclem, & Virgilium, apud quem Æneas nefas eſſe profitetur (*a*) tractare ſacra, quum primum e bello tum veniſſet, donec ſe flumine abluerit

Tu Genitor cape ſacra manu, patrioſque penates
Me bello e tanto digreſſum, & cæde recenti
Atrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Extructis Eccleſiis ampliſſimis, & comparatis iis omnibus, quæ congrua erant ac neceſſaria primorum temporum diſciplinæ, vaſcula etiam ante earumdem fores in atriis collocata ſunt, quibus ſe purgare Chriſtiani poſſent, antequam in Sanctuarium ingrederentur. Meminere hujuſce moris Tertullianus, Socrates, Euſebius, Sozomenus, Syneſius, & Paulinus, qui *Canthari* nomen hiſce fontibus inditum ſignificavit cum ita ſcripſit (*b*)

San-

(*a*) Æneid. 4. & 6.
(*b*) Epiſt. XII. ad Severum.

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus,intrantumque manus lavat amne miniſtro.

Quare autem Eccleſia primis ſæculis laicis conceſſerit manibus accipere Euchariſtiam, nunquam vero iiſdem permiſerit ſacrorum vaſorum contactum, quæ Sacrificio inſerviebant, rationem exhibet Morinus ſatis probabilem & congruentem (*a*); Corpus nimirum Chriſti rem eſſe ſacrificatam, actionem vero, per quam panis fit corpus Chriſti, eſſe Sacrificium. At vero de ratione ſacrificiorum eſt, ſi demas holocauſtum, ut ſacrificio adſidentes illius fiant participes, ut ex ſacris litteris (*b*) habemus. Chriſti igitur corpus, quod eſt omnium ſacrificiorum veritas, & perfectio, ab omnibus participari debet, & ideo contingi. Deinde Chriſti corpus, ſive Euchariſtiæ ſacramentum eſt veritas, cujus figura erat apud Judæos agnus paſchalis, quem unaquæque familia comedere tenebatur. Denique jubet Chriſtus in miſſæ inſtitutione omnes accipere, conſequenter & contingere. Corpus igitur

(*a*) De ſac. Ordinat. P.III. Exercit XIII. c. 3. num. XVIII. pag. 179. edit. 1695.
(*b*) Deuter. cap. 12. & 18. & Num. 18. v. 9.

tur contingi a fidelibus abſolute eſt neceſſitatis : imo ideo fit panis corpus Chriſti maximo cum miraculo, ut contingatur a nobis, & contactu ſuo nos ſanctificet, atque diſponat ad immortalitatem. Eadem erit conſequentiæ vis, ſi corpus Chriſti in ſacramento conſideretur, quatenus ſcilicet animarum noſtrarum medela, & Ἀλεξιφάρμακον eſt, prorſus contactus eſt neceſſarius, & eius participatio. Sed vaſorum longe diſpar ratio eſt: nulla eſt laicis impoſita neceſſitas ea contrectandi. Nihil eſt illis cum vaſis commune : nulla cum iis participationis & unionis realis utilitas. Nulla figurarum cum veritate relatio. Quapropter jure potuit hujuſmodi contactus prohiberi. Populus e carnibus ſacrificiorum participabat, vaſa tamen ſacra tangere prohibebatur. Vaſorum miniſteriis deputati erant Levitæ; populi ſubſidio nihil erat opus. Verum conceſſo parem eſſe utrobique rationem quod eſſe non poteſt; in iis quæ ſunt inſtitutionis Eccleſiaſticæ, alterum colligi non poteſt eſſe prohibitum ex alterius prohibitione; potiſſima enim ratio hujuſmodi prohibitionum eſt penes voluntatem & arbitrium inſtituentis. Sufficere debet legem de uno latam eſſe, de altero nullam. Quæ Morini momenta ſatis cauſſas indicant, ob quas antiquitus laicis attrectare manibus Euchariſtiam conceſſit Eccleſia, hodieque etiam iiſdem

in

in os immittit panem Euchariſticum, quin tamen unquam ſacrorum vaſorum contactum ipſis conceſſerit, aut putaverit concedendum. Optima erat primorum ſæculorum diſciplina, ſed conſequenti tempore juſtis æquiſque de cauſſis aliam longe diverſam induxit Eccleſia propter ſummam, ac legitimam, quam hiſce in rebus habet, poteſtatem.

CA-

CAPUT XIX.

De Vaſculis ac Reconditoriis, quibus domi Euchariſtiam conſervarunt.

ATque hæc diximus eo conſilio, ut modum exponeremus, quo Chriſtiani primum e *præſidentium* manu, ſeu Eccleſiæ miniſtrorum, & congregationum præſidum, ut loquitur Tertullianus (*a*) recipiebant Euchariſtiam. Dicendum nunc de conditoriis eſt, quibus eamdem exceptam domumque delatam ſervaverunt. Hanc arculis quibuſdam ligneis fuiſſe concluſam aliquot veterum teſtimonia tradunt. De quadam muliere ſcribebat Cyprianus: (*b*) *Cum arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Hunc locum exagitavit Hoſpinianus (*c*) obſtrepens adverſus catholicos propterea quod Euchariſtiam in arca, ſive theca vel armario conclu-

(*a*) Lib. de corona militis cap. 3. pag. 102. cit. edit.
(*b*) Lib. de lapſis pag. 381.
(*c*) Lib. de templis cap. 5.

cludant, nullo extante de his Chriſti vel Apoſtolorum præcepto. Nos id facile concedimus, inquiunt Cypriani operum editores. In illa Eccleſiæ novitate cum illa inter perſecutores ſuos degeret, & in occulto Chriſtiani peragerent divina myſteria, locus non erat tutus & certus, in quo concludi poſſet Euchariſtia. Itaque diſtribuebatur fidelibus a miniſtris, & unuſquiſque partem ſuam deferebat domum, ut communionem acciperet. Ac poſtea cum totus orbis factus fuit Chriſtianus, decens & congruens viſum eſt in loco certo & tuto eam reponere, ut ea ſtatim diſtribueretur ſumere volentibus, non in occulto, ut in primis Eccleſiæ ſæculis, ſed palam & publice & ſtatim, cum quis cuperet. Hucuſque editores (*a*). Sed alterum hujuſce uſus exemplum ſint acta SS. Indes, & Domnæ; ad quorum ædes explorandas qui miſſi fuerant haud aliud reperere (*b*) quam *divinæ Crucis figuram, & librum ſacro-ſanctum, nimirum Apoſtolorum Deo gratas actiones, cujus præclaræ opes erant duæ ſtoreæ in nudo ſolo ſtratæ generoſorum & Beatorum Domnæ & Indes ſupellex, ficti-*

(*a*) pag. 393. not. 89. cit.edit.

(*b*) Apud Baron. in not. ad diem 15. Aug. Martyrolog. Rom.

fictile præterea thuribulum, & lucerna & lignea arcula, in qua repoſuerant ſacram oblationem, cujus fiebant participes. In arcula pariter concluſerat Euchariſtiam S. Eudoxia quæ ſub Trajano martyr occubuit, ejuſque ſecum partem detulit, antequam a militibus ad Chriſti confitendam fidem Præſidi ſiſteretur. *Priuſquam* inquit ejuſdem actorum Scriptor (a) *traderet ultro ſe lupis agna Chriſti, brevi mora impetrata prodeundi accurrit in ſacram ædem, reſerataque illic arcula, in qua divinum donum reliquiarum ſancti Corporis Chriſti ſervabatur, inde particulam acceptam ſinu recondidit & ſic ſtatim cum militibus abiit.* Locus profecto inſignis, quem illuſtravit Boſſuetus (b) ut adverſus ſectarios Euchariſtiam antiquitus etiam conſervatam & acceptam unica ſub ſpecie tueretur. De quodam ſervo narrat Joannes Moſchus (c) quod feria quinta in Cœna Domini cum ſumtam in Eccleſia Euchariſtiam in armario domus heri ſui con-

(a) Apud Bolland. tom. I. Martii cap. XII. n. 44. pag. 19.

(b) *Defenſe de la tradition ſur la Communion ſous une eſpece P. II. chap. XIII.* extat tom. 3. opp. poſthum. ejuſdem.

(c) Cap. 79. Limonar. Hæc & alia miracula in dubium vocavit Petrus Allixius. Qua de re vide Euſebium Renaudotium in obſervat. ad Meletii Pigæ, & aliorum Opuſcula pag. 207.

concluſiſſet, ea viſa eſt in virides ſpicas commutata. Hunc ad morem fortaſſe ſpectant ea ſancti Zenonis verba (*a*) *omnis peræque unus panis cum ligno datur*; ad quæ adnotarunt fratres Ballerinii ejuſdem operum editores hæc inſinuare Euchariſtiam arcæ ligneæ incluſam fidelibus fuiſſe traditam, ut ſic eam cautius domum deferrent. Ex hoc autem, addunt, ſane commodius intelligitur, quod S. Zeno tract. 5. num. 8. de gentili viro cum Chriſtiana fœmina conjuncto adfirmat: *arrepto*, inquit, *forſitan Sacrificio tuo, tuum pectus obtundet, tuam faciem deformabit*; capſulis enim ligneis, in quibus *Sacrificium*, ideſt Euchariſtia condebatur, ictus & vis ejuſmodi facile congruit, ut & pectus obtundere & faciem deformare poſſint. Quæ interpretatio admodum Berlendio placuit, qui eam ex Calmeto illuſtrare aggreſſus eſt. Nec mirandum Chriſtianos ligneis in arculis conſervaſſe Euchariſtiam. Id agebant, quod patiebantur eorumdem ſane non multæ facultates, neque dubitandum pro rerum ſtatu, & conditione temporum inſtrumenta ac reconditoria adhibuiſſe digniori ex materia compoſita, quemadmodum ipſis

(*a*) Lib. I. tract. XIV. num. 4. pag. 107. edit. Veron. 1739.

ipſis etiam vigentibus perſequutionibus accidiſſe novimus, male ferentibus ethnicis vaſa argentea, & candelabra aurea in Chriſtianorum ſacris adhiberi, uti ex recitatis Prudentii carminibus eſt manifeſtum. Ex his interea aliiſque modo dicendis, colligas priſcos fideles Euchariſtiam iis in reconditoriis repoſitam adoraſſe, realemque Chriſti præſentiam in eadem etiam extra uſum agnoviſſe; ac proinde ſingularia eſſe prorſus noſtri temporis Proteſtantium ingenia, qui doctrinam hanc ceu noviſſimis temporibus inductam volunt, eamque æquas inter cauſſas ponunt, queis ſe ab Eccleſia catholica ſejunxerunt (*a*). Sed frequens paupertas Chriſtianorum in cauſſa fuit, ut etiam in pixidibus, ac vaſculis argillaceis conſervarent Euchariſtiam. Duo hujuſce generis ac materiæ ex Romanis cœmeteriis effoſſa mihi communicavit vir de ſacra, ac profana antiquitate optime meritus Jo. Baptiſta Paſſerius, heic Ferrariæ Prætor. Quum enim intellexiſſet me in rem Euchariſticam primorum temporum inluſtrationem incumbere, noluit vir pius juxta ac doctus deſiderari eadem in re ſuam ſymbolam, ſed protinus vaſculorum illo-

(*a*) Vide Hadrianum & Petrum Fratres de Walenburch tom. 2. Controv. Fidei P. IV. pag. 352.

illorum ectypa delineavit, & ſcripto, data ad me humaniſſima epiſtola, explicavit, ut quid rei eſſent facilius intelligerem. *In primis*, ait Paſſerius, *exhibeo imaginem* (*a*) *Turriculæ ad prothotypi magnitudinem expreſſam, in qua Fideles priorum ſæculorum, apud quos pietas exuberabat, ſacræ Euchariſtiæ particulas linteolis involutas domi ſervare ſolebant, ne dum inſtaret repentina perſecutio mors beatiſſima tanto munimine deſtitutos eos occuparet. Frequentiſſimum apud illos hunc uſum fuiſſe conjicio vel ex hoc uno, quod in veterum Chriſtianorum cœmeteriis, in quibus ſæpe vivi latitabant, & mortui tumulabantur, ſimilium fragmenta non ſemel collegerim, adhærentibus ſive aliquando divulſis lucernis uda adhuc argilla Turriculæ aglutinatis, ut perenni lumine aliquis etiam in privatis ædibus honor myſterio tam venerabili tribueretur. Cum vero tumulari ſecus defunctorum cadavera conſueviſſent, non aliter depoſitum fuiſſe in loculis puto tam venerabile Sacramentum, quam in ipſis turriculis fictilibus minime ſumptuoſis, quas inter cœmeteriorum macerias invenimus. Hæc præſens, aliaſque, quas huic ſimiles in eruditorum cimeliarchiis obſervavi, itemque fragmenta, quæ*

(*a*) Tab. I.

quæ apud me ſunt, conſtant ex argilla albicante deſuper encauſtico opere rubricata calcantho, & plumbo excocto, quo familiariſſimo magiſterio fictilia univerſa expoliebant. Hæ Turriculæ ectypæ ſunt atque expreſſæ ex gypſea forma, nam meæ ſimillimam ſervat Ferrariæ Cl. Antenor Scalabrinus hujus ſanctæ Eccleſiæ Canonicus, pietate & doctrina conſpicuus. Intrinſecus vacuæ ſunt, ſuperne vero contemporaneo opere clauſæ pari lamella in concham ſinuata, in qua panniculis involutum ſacrum Chriſti corpus deponebatur, lucernula inferius rutilante, & geminis aliquando in lateribus appictis, cujuſmodi ex fragmentis apud me demonſtratur. Forma quadrata eſt, ut quodammodo altaris imaginem redoleat, quod ex quadrato lapide, atque unico conſtare ſolebat: quæ inſtitutio ſignificatione non caruit; nam altare Chriſti imago eſt, qui lapis angularis appellatur. Hujuſcemodi unum integerrimum habeo Piſauri ex antiquiſſimo S. Mariæ Magdalenæ monaſterio erutum, in cujus fronte crux ampla exciſa eſt cum Chriſti benedicentis immagine. Hactenus Paſſerius. His ergo in turriculis primi Chriſtiani panem Euchariſticum domi ſervaverunt. Alias deinde turriculas digniori ex materia conflarunt, & in Eccleſiis collocaverunt, pro communione infirmorum Euchariſtiam continentes, & Chriſtianorum ad eas convenientium

adoratione, ut Sebaſtianum Paulium, Mabillonium, Martenium, & alios evolventi facile conſtabit. Ac frequentem quidem vaſorum fictilium uſum penes antiquos Chriſtianos obtinuiſſe ex eo colligendum eſt, quod auro & argento ſæpe deſtitutæ Eccleſiæ fuerint, unde iis in vaſculis ſacra reponere neceſſitate urgente cogebantur, quæ paratu faciliora eſſent, cujuſmodi erant fictilia; hæc enim

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula de facili compoſuiſſe luto.

Hinc in agapis poſt ſumtionem Euchariſtiæ celebrari ſolitis phialas, & amphoras fictiles adhibuerunt, uti hæe ſunt, quæ fuere erutæ e cryptis & cœmeteriis. Narrat Mabillonius (*a*) ſe Romæ in Eccleſia S. Anaſtaſiæ vidiſſe calicem, quo in re ſacra uſum fuiſſe S. Hieronymum dicebatur, illumque conſtare ex terra figulina alba, in ſimilitudinem uſualis calicis ad potandum. At dubitat vir ſummus an unquam ſacra fecerit Hieronymus. Sed quum a Paulino An-

(*a*) Itiner. Italic. pag. 97.

Antiocheno, inquit Baſnagius (*a*), cujus partes in Oriente prævalebant, fuerit Hieronymus presbyter ordinatus, non video cur a ſacris adminiſtrandis ſemper abſtinuerit. Quamquam ne quidem apud veteres vaſcula lignea ac fictilia contemtui erant. *Quid autem*, inquiebat Cicero (*b*) *Numa Pompilius? minus ne gratas Diis immortalibus capedines & fictiles urnulas, quam filicatas aliorum pateras arbitramur?* Sed de his conſule Varronem (*c*) Juvenalem (*d*), Martialem (*e*) Plinium (*f*) & Scacchium (*g*). Et recte quidem illis veteres fictilibus uſi ſunt vaſis in cultu Deorum ligneorum, lapideorum atque fictilium. Cauſa igitur eorumdem apud Chriſtianos uſus merito in eorum paupertatem, ac iniquitates temporum regerenda eſt.

Adoraſſe porro domi Euchariſtiam priſcos Chriſtianos dubitari non poteſt; quum perſpicuis ac certis documentis conſtet etiam cruces ex ligno, aliave materia compoſitas, vel in parietibus de-

---

(*a*) Præfat. ad Theſaur. monument. Caniſii §. 13. pag. 78.
(*b*) In Paradoxis.
(*c*) Lib. 4.
(*d*) Satyra II.
(*e*) Lib. IV. epigramm. 99.
(*f*) Hiſt. natural. lib. 35. cap. 45.
(*g*) Myrothecio I. cap. XII. pag. 64. edit. 1725.

depictas, ſingulari proſecutos fuiſſe veneratione. Argumento etiam ſunt lumina illa, ac lucernulæ turriculis adpoſitæ, ut expoſuit præclare laudatus modo Paſſerius. Nec incongrua Euchariſtiæ conſervatio domi facta illi videbitur, qui expenderit quales antiquitus eſſent domus Chriſtianorum. Totidem procul dubio Eccleſiæ erant; nulluſque in iis luxus adparebat, quum eorum multi ſumma egeſtate premerentur. Quod ſi erant aliqui, ut profecto fuerunt, qui opum copia florerent & honoribus, curabant diligenter, ut ædium ornamenta virtutibus, demiſſi nimirum animi, modeſtiæ, candoris & morum integritatis, quibus excellebant, adprime reſponderent. Hinc menſæ, ſpecula, tabulæ, lecti, vaſa, res deniqne cæteræ, quæ ad domus cultum, aut familiæ uſum pertinent, non faſtum ac ſuperbiam redolebant. (*a*) Non patiebantur pii illi Chriſtiani domos ſuas Eccleſiis aut altaribus vel opulentiores, vel ſplendidiores eſſe.

(*a*) Mamachius lib. 3. Origin. &c.

CAPUT XX.

Exponitur uſus Vitrearum Patenarum in cryptis.

UT a vaſis, ac reconditoriis, quibus uſi ſunt veteres pro domeſtica communione, ad alia gradum faciamus, quæ in ſacro miniſterio adhibuere, primo quidem ſtatuimus ſumma cura procuraſſe ut digniora juxta ac mundiora eſſent vaſa ſacra; calices nimirum, patenæ, & alia, quorum eſt uſus in liturgia neceſſarius. Conſtat id ex Orientalium & Occidentalium ritualibus, ex primæva Eccleſiarum traditione efformatis. Ex his etiam novimus ſingularem prorſus diligentiam, quam jugiter in præparatione elementorum adhibuerunt. Quantacumque enim fuerit primorum parſimonia ac ſimplicitas Chriſtianorum, quantæcunque demum ex perſequutorum odio & furore anguſtiæ; in rebus tamen ad Dei cultum honoremque ſpectantibus ſumme liberales ac prælargos fuiſſe dubitari non poteſt. (*a*) Hinc etiam deploratis tem-

(*a*) Beveregius adverſus Dallæum in vind. Cod. Can. Eccl. primit. cap. VIII. pag. 269.

temporibus domos, ſic ædes ſacras habuère auro micantes. Lucianus Critiam catechumenum in auream domum χρυσόφορον οἶκον, in qua ſynaxis agebatur, fuiſſe introductum laudato in Dialogo enarrat. Et Prudentius S. Laurentii encomia pandens non vaſa tantum altaris aurea & argentea fuiſſe memorat, ſed etiam candelabra. Quod ne poetarum more ab Prudentio dictum putemus prohibet Optatus Milevitanus, qui Menſurium Romam ad dicendam cauſſam vocatum, ſcribit (*a*) hæſiſſe dubium quid de argenteis aureiſque vaſis ſtatueret, quæ nec poterat in terra defodere, nec ſecum deferre. Sed ut ut res ita fuerint, iſthæc tamen aurea & argentea vaſa ſæpe antiſtites neceſſitate compulſi divendere compellebantur, cum ut ſublevarent ingentem copiam inopum, tum ut captivos redimerent. Sciebant nempe miſericordiam & levamen miſerorum ſacrificio eſſe præferendum, & viva ac ſpiritualia S. Spiritus templa materialium templorum impenſis eſſe conſervanda. Ita ſe geſſere exemplo primorum antiſtitum Ambroſius, Auguſtinus, Acacius Epiſcopus Amidenſium, Exuperius Toloſanus, Gregorius Turonenſis, & Hilarius Arelatenſis, qui referente Hono-

(*a*) Lib. I. de Schiſm. Donatiſt.

norato (*a*) *Tractavit ſecum, deliberavit, & fecit, ut ſacra miniſteria captivis ſolatia potius præſtarent, quam Eccleſiis ornamenta. Quidquid argenti omnes Baſilicæ habuerunt, captivorum redemptioni protinus deputavit, cumque omnia cognoviſſet expenſa, uſque eo credidit omnia diſthraenda, quouſque ad patenas & calices vitreos veniretur.* Et de S. Exuperio laudato hæc ſcribebat Hieronymus ad Ruſticum: *Viduæ Saraptenſis imitator eſuriens paſcit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur aliena, omnemque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portat in vitro.* Apoſtolos ligneis calicibus uſos fuiſſe Honorius ſcribit (*b*) ſed teſtis eſt cum multis in rebus parum adcuratus, tum nimis ab illorum ætate remotus, quam ut illius rei, cujus nullum profert documentum, teſtis idoneus eſſe poſſit. Quamvis aliquando præ inopia ſacerdotes ligneis fuiſſe uſos calicibus præclara illa Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi ſententia videtur admonere: *Quondam* aje-

---

(*a*) In ejus Vita apud Bollandiſtas 5. Maii numer. II.

(*b*) In Gemma Animæ.

ajebat (*a*) *ſacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei ſacerdotes aureis utuntur calicibus*. Sed vitreorum calicum uſus prima illa ætate frequentior fuit. De S. Zephyrino refert Liber Pontificalis, *fecit Conſtitutum, ut patenas vitreas ante ſacerdotes in Eccleſia miniſtri portarent*; nimirum ut ſupra has patenas, ita uti animadvertit Bencinius, ſacerdotes panem conſecratum populo porrigendum conlocarent. Hoc tunc temporis etiam haud indecorum videbatur; quia ut ſcribit Andreas Baccius (*b*) in procerum menſis & conviviis vaſa vitrea magni uſus & pretii erant. Revera Juvenalis horum mentionem facit quum ait (*c*)

Grandia ponuntur Cryſtalina

& Martialis de exquiſito Opimiano vino ita canebat (*d*).

Opimianum morionibus nectar
Cryſtalliniſque murrhiniſque propinat.

Ca-

(*a*) Rodulph. Tungrenſis de can. obſ. prop. 23. & Strabo c. 24. Rer. Eccleſiaſt.
(*b*) Lib. 1. de Conviv. Antiq.
(*c*) Satyra 6.
(*d*) Lib. 3. epigramm. 82.

Capitolinus etiam Marcum Aurelium aurea pocula & cryſtalina vendidiſſe narrat. Quapropter his etiam abuti poſſe fas eſſe ſibi duxerunt ethnicorum ſacerdotes, adſerente Svetonio thus in catino vitreo, merumque in fictili calice poſitum fuiſſe. Et Apulejus ſolemne enarrans convivium dicebat (*a*) *Hic vitrum fabre ſigillatum, ibi cryſtallum impunctum*. Sed alia fortaſſe, longeque diverſa ratione, quam illa, quæ ab rerum recepto uſu repetitur, Chriſtiani calices vitreos ac patenas ſuis in ſacris adhibuerunt: (*b*) quod præcipue ſub Zephyrino contigiſſe arbitramur, qui an. 197. ſub Severo floruit; nimirum cur vitreas patenas præferri juſſerit potiuſquam ligneas, aut metallicas non difficulter cum Blanchinio (*c*) conjicimus, ſi dili-

(*a*) Lib. 2. Metamor.

(*b*) Uſus Calicum vitreorum meminit etiam Tertullianus lib. de pudicitia cap. 7. & 10. Epiphanius hæreſi 34. deque iis egerunt Baronius in not. ad diem VII. Aug. Martyrolog. Rom. Severanus Rom. ſubterr. lib. 6. cap. 8. Bonarottius in vitrorum fragmentis, & Eques Franciſcus Victorius in diſſ. de vetuſtate & forma monogrammatis nominis Jeſu pag. XII. &c.

(*c*) Not. ad Anaſtaſ. ſect. XVI. pag. 171. in Zephyrino.

diligentem & anxiam curam perpendimus, qua ſacerdotes in confringendis dividendiſque oblatis & conſecratis donis cavere debuerunt, ne fragmenta dilaberentur. Quam profecto eximiam fuiſſe ex pluribus Patribus, & Conſtitutionibus Eccleſiarum conſtat, quæ a primæva traditione promanarunt. His etiam perennis comprobatur fides Chriſtianorum adverſus Sectarios in adſerenda Chriſti præſentia ſub ſpeciebus conſecratis; nam quæ culpa, quæ cauſſa tantæ anxietatis fidelium fuiſſet, ſi præter panem & vinum meramque figuram nil aliud agnoviſſent in Sacramento? Aliud ergo & quidem magnum in Euchariſtia credebant, realem ſcilicet Chriſti præſentiam. Huic proinde diſciplinæ anxie curanti ne quidpiam oblati conſecratique muneris in terram delaberetur cum ſtudioſe intenderet Zephyrinus videtur patenas vitreas juſſiſſe iccirco præferri cæteris ex diverſa materia elaboratis ad ſupponendum conſecratis ſpeciebus, dum Corpus Dominicum in ſacrificio offerretur, & oblata dona, ſub quibus latet, frangerentur; quod ſcilicet pellucida vitri materies redderet evidentiora minuta quæque fragmenta, in quorum ſingulis peræque præſens cum fateamur integrum Domini corpus, tanta erant ſollicitudine colligenda. Accedit quod cum hoc tempore perſequutionum ſæpe neceſſe foret in cryptis cœmeteriorum & hu-

hujuſmodi obſcuris & ſubterraneis locis ſacra celebrare myſteria, & impertiri fidelibus Euchariſtica dona, ejuſmodi vitreæ patenæ a ſubdiaconis afferendæ ac per diaconos miniſtrandæ presbytero ſacra facienti, ac dividenti inter fideles ad participandum accedentes, reddebant conſpicuas particulas etiam minutiſſimas quæ deciderent, præſertim ſi admoto lumine lances iſtæ vitreæ non ſecus ac ſpecilla in feneſtris illuſtrarentur. Lævigata ſuperficies metallicarum, quibus hodie utimur, eandem facilitatem præſtat minuta quæque fragmenta ſuper illarum ſuperficiem deprehendendi in aperto lumine ſacrarum ædium; ſed in obſcuris receſſibus, in quos Chriſtiani ſeſe tunc temporis neceſſitate compulſi occultabant, dubium non eſt quin pellucida vitri natura copiam præberet opportuniorem micas omnes diffractarum ſpecierum colligendi, & guttulas etiam minimas e calice forte decuſſas, miniſterio admoti, circumacti, & ſuppoſiti luminis undequave inveſtigandi. Inde accidiſſe putat Blanchinius idem, ut aliqui Epiſcopi vitri materiem etiam in calice pro ſacrificio offerendo elegerint; non ſcilicet cauſſa paupertatis ſolum, quam anxiæ illius ſollicitudinis, quæ inquiri & conſumi poſtulat quidquid conſecratione converſum eſt in corpus & ſanguinem Chriſti.

Hac etiam de cauſſa ſacrorum vaſorum con-

tactus ſolis initiatis, ac ſacerdotibus reſervatus fuit. Nam ſi promiſcuus uſus atque contactus populo fuiſſet permiſſus, ſummopere timendum erat ne frequenter calices vitrei confringerentur, & ſanguis Domini effunderetur. Hinc ſolis miniſtris fuit reſervandus non tantum vaſorum gratia, ſed potius Euchariſtiæ accuratiſſime procurandæ cauſſa, ne quid minimum adhærens vaſculis imperitia aut negligentia populi dilaberetur. Quod omnino contigiſſet ſi cura & cuſtodia unicuique e plebe Chriſtiana, omniumque manibus concredita fuiſſet; nam fragmenta decidua & guttulæ inter paterarum toreumata, & calicum anaglypha ſparſa ac diſſipata ſæpe fuiſſent, ut animadvertit laudatus Blanchinius ad illud S. Sixti decretum: *Hic conſtituit ut miniſteria ſacrata non tangerentur niſi a miniſtris*; a quibus ſane non erant timenda incommoda illa, utpote ad hæc munera rite obeunda formatis experimento diurno, ac monitis Epiſcopi & presbyterorum.

CA-

CAPUT XXI.

De precibus ac ritibus domeſtica in Communione adhibitis.

JAm quum domi haberent Euchariſtiam, eamque, quum deeſſent presbyteri, pro libito, atque uniuſcujuſque fervore per ſeipſi ſumerent, tempeſtive inquirendum eſt, quibus ritibus hac in domeſtica communione uterentur. *Antequam eſcas attingerent*, inquit Jo. Fronto, (*a*) *pacem invicem ſibi data, communione ſancta jejunum ſtomachum conſecrarunt, divino ſe corpore & ſanguine Chriſti roborantes tamquam eſca præcipua: ut immortali cibo priuſquam eo, qui perit, reficerentur, & alterius vitæ, quæ per Chriſtum eſt, potius quam iſtius cura ſe duci oſtenderent. Hoc pacto convivium mortis Chriſti memoria conditum, non epulones, non gulæ deditos, non ventri ſervientes admittebat; & caro ſic Deo ſaginata facile cupedias, & gulæ irritamenta reſpuebat. Sed antequam divinam Euchariſtiam ſumerent, Dominica oratio recitata fuit, nec unquam Euchariſtia ſine oratione Dominica celebrata eſt, ſi diligenter Gregorii Magni*

(*a*) In Famil. Chriſt. pag. 34. edit. Veron.

gni verba perpendimus. Fuit etiam in more poſitum apud aliquos ante prandium quadam confeſſione conſcientiam purgare, ne indigni Euchariſtiam ſacram, quæ præibat, deguſtarent. Sed etiamſi non præcederet Euchariſtia; id nihilominus uſurparunt, ne ſimul eidem menſæ animo penitus reconciliato non aſſiderent; ſimul enim coram Deo edere communionis genus fuit ſic a nonnullis SS. Patribus appellatum; & præterea ne pane per præmiſſas benedictiones ſancto reddito cum peccatis vel leviſſimis veſcerentur. Et vero valde probabile eſt alias inter preces, orationem dominicam præcipue priſcos Chriſtianos ante Euchariſtiæ ſumtionem recitaſſe. Id ſane peregiſſe S. Mariam Ægyptiacam antequam a Sozima abbate Chriſti corpus acciperet teſtis eſt in ejus vita Sophronius. Fuit hujus orationis uſus frequentiſſimus, & plerique cenſent Apoſtolos & alios hanc unam orationem verbis conſecrationis corporis Dominici præmiſiſſe (*a*). Nec a vero abhorret, quod animadvertit Petavius tum Chriſtianos cum abeſſet presbyter vel diaconus, æmulatos quandam fuiſſe ſacræ ſynaxis ſpeciem & multa eorum expreſſiſſe, quæ in

(*a*) Rainaudus de 1. Miſſa ſect. 11. cap 4. & Bona rer. liturg. lib. 2. c. 4.

in cœtibus, quibus præſidebant ſacerdotes, fieri ſolebant. Hac ratione celebre Tertulliani dictum ex libro de *Exhortatione caſtitatis*, a Proteſtantibus tantopere jactatum, explicavit. (*a*) Cum fideles, inquit, quique laici panem ac vinum in ſynaxibus offerrent; eaque illorum oblatio *Sacrificium* appellaretur late ſumto vocabulo, mirum videri nemini debet, ſi Tertullianus libro de exhortatione caſtitatis laicum quemlibet, qui quidem digamus non ſit, jus ait habere ſacerdotio, eo quod ubi ſacerdos non eſt, & offert & tinguit. Nam ſin minus Euchariſtiam conſecrare in ſynaxibus ſuis abſente ſacerdote poterant, myſteriorum quandam adumbrabant imaginem, dum panem & vinum offerrent, ac Deo certis precibus ſua munera commendarent, quod unus e laicis ad id delectus præſtare poterat. Quin etiam poteſt fieri, ut ſi nullus ſacerdos, vel diaconus eſſet, quod in perſecutionibus frequenter accidebat, præſertim ejuſmodi, in quibus in ſolos ſacerdotes tyranorum edicta deſævirent, ἐκ τῶν προηγιασμένων; id eſt ex anteconſecratis, ſynaxes & fidelium conventus inſtituti ſint, in quibus unus quiſpiam e lai-

(*a*) Cap. II. Diatribæ *de poteſtate conſecrandi*. & in notis ad Syneſium, quibus hic utimur.

e laicorum numero præficiebatur, qui conſecratum jam ab ſacerdote Dominicum corpus & aſſervatum in altari ſiſteret & offerret, ac fidelibus porrigeret, quod genus oblationis neque ſacerdotale, neque ſacrificium proprium fuit, ſed meris precibus vel gratiarum actione, vel ejuſmodi alia re conſtabat. Hoc vero laicos feciſſe non magis admirabimur, quam Euchariſtiam domi & in arca condidiſſe, ac privatim ſibi quemquam ſumſiſſe. Ab hoc porro miniſterio non ſolum mulieres, ſed etiam digami arcebantur. Hæc Petavius, cujus præclare dictis, quæ alii ſentiſerunt eadem de re, placet adjicere. Itaque eumdem Tertulliani locum Rigaltius ſic explicaverat, ut Chriſtianus laicus ſi cum ſua familia in navi ſit, & feratur in ea loca, in quibus nulli ſunt Chriſtiani, nullus *conſeſſus ordinis*, id eſt πρεσβυτέριον, ipſum poſſe & offerre Deo & panem ac vinum cum ſolemni gratiarum actione conſecrare, & tingere ideſt baptizare & ſacerdotem eſſe ſibi quia in illis etiam paucis ſit Eccleſia. Rigaltio docte contradixit Albaſpinius, Epiſcopus Aurelianenſis, contenditque verbo *offerre* aliud prorſus ſignificaſſe Tertullianum, quam corpus & ſanguinem Chriſti conſecrare, quod Pamelius etiam, Petavius, & alii obſervaverunt. Denique Ugo Grotius anonymam diſſertationem vulgavit *de cœnæ ad-*

mi-

miniſtratione ubi paſtores non ſunt (*a*) in qua illo Tertulliani teſtimonio præcipue innixus laicos neceſſitate urgente uti baptizare, ita & conſecrare poſſe demonſtraſſe ſibi viſus eſt; affirmavitque apud Tertullianum verbum *offerre* nullam aliam interpretationem pati cum illud verbo *baptizare* conjungit; idque Tertullianum ſcripſiſſe ceu de more ac inſtituto paſſim obtinente; alioquin ex re non ab aliis credita cum aliis agens argumentum nonniſi ſtulte duxiſſet. Hæc Grotii cogitata expendit Petavius, cujus dicta recitavimus. Placet modo addere Cardinalis Urſii reſponſum, quod propoſitæ difficultatis nodum cæteris videtur felicius exſolvere. Memoratis aliquot Tertulliani locis illi contrariis, quem ex libro de exhortatione caſtitatis urget Grotius, ait: quemadmodum Tertullianus ubi contra hæreticos diſputat, Epiſcoporum ordinem extollit, ita in libris adverſus Catholicos deprimit ac fere laicis peræquat: adverſus hæreticos diſputans, nullam ſine Epiſcopis Catholicis agnoſcit Eccleſiam; qui tamen in libris adverſus Catholicos Eccleſiam in tribus laicis conſtituit, ut in libro de exhor-

(*a*) Extat tom.3.opp.ejuſd. Theologic. pag. 505. edit. Amſt. 1679.

hortatione caſtitatis (*a*) *ubi tres Eccleſia eſt; licet laici*, & lib. de fuga in perſecutione (*b*): *non potes diſcurrere per ſingulos ſit tibi & in tribus Eccleſia* & lib. de pudicitia (*c*) *non Eccleſia numerus Epiſcoporum*. Cogitanti mihi proſequitur Urſius, cur adeo ſibi contraria in hiſce libris effutiret, id unum ad animum occurrit. Quum catholici Epiſcopi Montaniſtas a communione repellerent, neque ipſi alium ſuæ ſectæ haberent Epiſcopum hoc ad ſolatium ſuum excogitaſſe, nullam eſſe jure divino clericorum in laicos poteſtatem, nullam quæ in caſu neceſſitatis conſtringeret. Ita enim fiebat, ut laici communione a clericis ſegregati, ipſi ſibi clerici, ipſi ſacerdotes eſſent, ipſi & tinguerent & offerrent, nullaque proinde eos obbligatio manebat, ut ſe ſacramentorum recipiendorum gratia clericorum deinceps arbitrio permitterent. *Nonne* inquit loco cit. *de exhort. caſtitatis, & laici ſacerdotes ſumus? ſcriptum eſt*: Regnum quoque nos & ſacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. *Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus; adeo ubi Eccleſiaſtici or-*

(*a*) Cap VII.
(*b*) Cap. XIV.
(*c*) Cap. XXI.

ordinis non eſt conſeſſus & offers & tinguis; & ſacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres Eccleſia eſt licet laici. Unuſquiſque enim ſua fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum &c. Si igitur habes jus ſacerdotis in temetipſo ubi neceſſe eſt, habeas oportet etiam diſciplinam ſacerdotis ubi neceſſe ſit habere jus ſacerdotis. digamus tinguis? digamus offers? Quanto magis laico digamo capitale eſt agere pro ſacerdote, quum ipſi digamo facto, auferatur agere ſacerdotem. An non hæc optima conjectura eſt nullum tum fuiſſe Carthagine Montaniſtarum Epiſcopum? Etenim ſi adverſus hæreticos epiſcopalis ordinis auctoritas urgenda eſt, Catholicorum indices proferuntur. Si pro Montaniſtis adverſus Catholicos decertandum Epiſcoporum auctoritas contemnitur, & Eccleſia in tribus laicis conſtituitur. Optatus itaque Epiſcopus, qui in actis noſtrorum Martyrum memoratur, perperam fuiſſe dicitur Montaniſtarum Carthaginenſium Epiſcopus, ſed catholicæ communioni præfuit. Hæc Urſius adverſus Baſnagium, ut SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis tueretur orthodoxiam (*a*). Quibus etiam eorum magis

(*a*) Diſſert. Apologet. &c. cap. 7. num. 6. pag. 176. & ſeq.

gis ac magis ſtabiliri opinio poteſt, qui contendunt librum illum *de Exhortatione caſtitatis* a Tertulliano jam Montaniſta elaboratum fuiſſe.

Sed cætera de communione domeſticam pergamus dicere. Quemadmodum ex Homero aliiſque conſtat adveniente amico vel hoſpite, domi eum fuiſſe exceptum cum libatione vini Diis facta, & porrecto illi poculo cum verborum formula, qua felicem ei adventum optavere, & ritu conſimili diſceſſuros hoſpites fuiſſe dimiſſos, precantibus iis qui dimittebant, ut fauſte fortunateque procederent, ita primitivos Chriſtianos hoſpites & amicos, præmiſſa ad Deum oratione, & corpore Chriſti ſanctiſſimo, ante quemvis cibum eos refeciſſe valde probabile judicavit Jo. Fronto (*a*); cum eſſet inter illos Euchariſtia hoſpitalitatis teſſera, & amicitiæ mutuæ ſacramentum, & vinculum. Idem poſt Frontonem ſcripſit Caveus (*b*). Sed vero Frontoni vitio vertit Jo: Clericus (*c*) quod veterum teſtimoniis hujuſmodi adſertionem non conconfirmarit. Quid tamen creditu facilius, quam

(*a*) De Philotheſiis veterum pag. 407. edit. cit.

(*b*) *De la Religion des anciens Chretiens* Tom. 1. p. 1. cap. 11. pag. 374.

(*c*) *Biblioteque Ancienne & Moderne*. Tom. 15. p. 2. pag. 419.

quam veteres cum domi haberent plerumque Euchariſtiam, illa primum tum ſui, tum jejunum amicorum & hoſpitum ſtomachum conſecraſſe? Is ſane veterum Monachorum mos fuit, apud quos communionis domeſticæ uſus, Baſilio teſte, (*a*) diutius perduravit. Huc etiam ſpectare fortaſſe poſſunt obſcura illa Tertulliani verba, (*b*) *Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus*. Sed de illa conſuetudine hoſpites & amicos reficiendi Euchariſtia certi a Palladio reddimur, de ſancto abbate Orio, quem ſæpe Heremicolæ inviſum veniebant, in Hiſtoria Lauſiaca ita ſcribente (*c*): *Videns autem nos vir ille, ac lætitia affectus ſalutavit & complexus eſt, cumque pedes noſtros propriis laviſſet manibus, ad doctrinam converſus eſt. Erat enim valde peritus Scripturarum, divinitus hanc gratiam conſecutus. Et poſt-*

(*a*) Cit. epiſt. ad Cæſariam: *Omnes in ſolitudinibus Monachi, ubi non eſt Sacerdos, communionem domi ſervantes, ſuis ipſorum manibus ſumunt, Alexandriæ autem in Ægypto unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi communionem, & quando vult per ſeipſe fit illius particeps.*

(*b*) De Coron. Militis cap. 3. pag. 102. edit. 1744.

(*c*) Apud Cotelerium tom. 3. monum. Eccleſiæ Græcæ pag. 161.

poſtquam multa ſolviſſet Scripturarum capitula fidemque orthodoxam tradidiſſet, adhortatus eſt ad preces. Viris quippe magnis mos eſt nihil carnis elargiri, aut admittere, priusquam ſpirituale alimentum animæ tradiderint: αὕτη δὲ ἐςὶν τοῦ Χριςοῦ κοινωνία *hoc autem eſt Chriſti Communio: participes ergo ejus factos, cumque gratias egiſſemus, ad menſam nos poſtea hortatus eſt.* Idem de Monachis S. Apollinis narrat laudatus Palladius (*a*). Ex quorum ſtatutis geſtiſque facile etiam conjicere licet quid egerint primi Chriſtiani, quorum illi vivendi normam & diſciplinam cæteris diligentius expreſſere. Nam Chriſtianos cum obſtaret quidpiam quod eos a cœtibus prohiberet, domi vel ſolos, vel cum ſuis ſacra perlegiſſe Biblia, (*b*) laudaſſe hymnis Deum, dediſſeque operam, ut quæ promiſerant ſacrum ſuſcipientes lavacrum, fideliter obſervarent patet ex Clemente Alexandrino (*c*) & Martyre Juſtino (*d*). Quod vero Palladius refert abbatem Orium hoſpitum illorum Monachorum pedes abluiſſe, id ad veterum imitationem factum

(*a*) Hiſt. Lauſ. c. 51. ſect. 48. pag. 648.

(*b*) De conviviis Chriſtianorum lectione ſacra condiri ſolitis agit Montfaucon in notis ad lib. Philonis de vita contempl. pag. 129.

(*c*) Lib. 7. Stromat.

(*d*) Apolog. 1. num. 13.

ctum eſt; nam pedes peregrinorum & hoſpitum lavari conſueviſſe etiam Sacræ Litteræ docent, cum teſtantur (*a*) Abraham & Loth Angelorum ſub adſcititio habitu viatorum latitantium pedes laviſſe. Plura alia exempla ſed profana in antiquitatibus Homericis (*b*) ſuppeditabit Fehitius; hancque omnium fere gentium diſciplinam fuiſſe oſtenderunt Orlendius, Gretzerus, Freſcobaldus, Ittigius, & Paciaudius. Sed quod propius ad rem facit de qua agimus, hanc podonipſiam recte Chriſtiani adhibuerunt tum maxime, quum ſacra eſſet ſuſcipienda Euchariſtia; Chriſti nimirum exemplo qui quum poſteriorem cœnam, in qua Sacramentum illud Corporis & Sanguinis ſui auguſtiſſimum inſtituit, eſſet inchoaturus *ſurgit a cœna*, ut loquitur Joannes (*c*) *& ponit veſtimenta ſua: & cum accepiſſet linteum præcinxit ſe. Deinde mittit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus*. Quod ea ratione myſtice factum eſt, ait Fortunatus Scacchius (*d*), ante inſtitutionem ſacramenti Eucha-

ri-

(*a*) Geneſis 15. & 19.
(*b*) Lib. 3. cap. 13.
(*c*) Cap. 13. v. 4. & 5.
(*d*) Loc. cit. pag. 163. cap. 33. vide etiam noſtrum Orlendium in lib. *de duplici lavacro*.

riſtiæ; ut doceret nos Chriſtus, quanta cum puritate, pietate, ac animi mentiſque candore ad Euchariſtiæ ſacramentum nos accedere oporteat. Chriſtus autem cum pedes diſcipulorum laviſſet, iterumque diſcubuiſſet, humilitatis doctrinam præſtantiſſimam, nec non etiam ſuprema maximæque Religionis noſtræ arcana patefecit, quæ nonniſi lotis, ac corde candidis communicantur. Hinc frequens etiam apud Chriſtianos veteres uſus balneorum. Hinc lotio pedum præſcripta in nonnullis Liturgiis. (*a*); ut nihil interea de multarum gentium moribus uſibuſque dicamus, quæ ante cœnam pedum manuumque lotionem in more poſitam habuerunt.

(*a*) Renaudotius Comment. ad Liturg. Coptic. S. Baſilii pag. 176.

CAPUT XXII.

De apparatu quo Heremicolæ percipiebant Euchariſtiam.

QUo vero apparatu, rituque ſancti illi Heremicolæ, apud quos Communionis domeſticæ uſum diutius perduraſſe diximus, Chriſti corpus acciperent, enucleandum eſt, tametſi exempla, quæ ſumus allaturi, prorſus ſimilem ubique viguiſſe diſciplinam ſtabilire pro certo non poſſint. Theodorus Studita abſente ſacerdote, ita ſumendam Euchariſtiam eſſe ſtatuit (*a*): *poſito ſacro libro, extenſoque puro linteo, aut ſacro velamine, depoſita prius illic e manu cum metu ſacra Euchariſtia, poſt hymnorum recitationem ore ſumi debet. Poſtea qui accepit, abluere os vino debet.* Explicatius locutus eſt Corinthiorum Archiepiſcopus, quum eadem de re a S. Luca Juniori interrogatus fuiſ-

ſet:

(*a*) Epiſt. 119. lib. II. pag. 748.

ſet : (*a*) *tum quæſiit ab Archiepiſcopo ſenſu admodum contrito & humili: amabo te, inquit, o domine, qua nos ratione, qui propter multa peccata noſtra montes colimus, ac ſolitudines, qua, inquam, ratione tremenda myſteria poſſumus ſumere? Vides enim ut nedum Collecta, ſed neque ſacerdos nobis ſuppetat. Ille porro gratam admodum queſtionem habens; bene, inquit, Pater, deque re bona, ac maxime neceſſaria interrogaſti. Nam bonum quoque, ut ajunt, non bonum eſt, ut non bene fieri contingat. Primo igitur ac præcipue ſacerdotem adeſſe decet. Quod ſi ille neceſſaria omnino ratione deſit, imponendum ſacræ menſæ ſive altari Præſanctificatorum vaſculum ſi quidem oratorium ſit, ſin autem cellula ſcamno mundiſſimo. Tum explicato linteolo propones in eo ſacras particulas, accenſoque thymiamate Typicorum pſalmos ac hymnum Triſagium* (*b*) *cum fidei ſymbolo decantabis, trinaque genuflexione adorans & manus quidem conthraes, ore autem pretioſum Chriſti,*

ac

(*a*) Num. 42. Vitæ S. Lucæ apud Combefiſium & Bollandum ad diem VIII. Februarii.

(*b*) De Triſagio in myſtagogia cantari ſolito conſule Habertum obſerv. 6. pag. 64. Pontifical. Græcor. Renaudotium tom. 1. Liturg. Oriental. pag. 228. Goarium in Liturg. Chryſoſtomi &c.

Dei noſtri corpus ſumens dicendo Amen. Loco autem ſacri laticis vini poculum bibes. Nec vero huic calicem miniſterio addictum in uſum alium communem aſſumes. Rurſus vero reliquas particulas in vaſe linteolo colliges, omnem diligentiam adhibens ne margarita, id eſt Dominici corporis particula, dilabatur, aut conculcetur. Horum pleraque, ea præcipue, quæ de Triſagii, & Typicorum hymnorum recitatione dicuntur, orientalium Liturgiis conformia ſunt, ut Chryſoſtomi liturgiam ab Goario illuſtratam perlegenti conſtabit. Quæ vero de *Sacro Libro* ſcribit Theodorus Studita, lucem poſſunt accipere ex Syrorum Jacobitarum diſciplina, quam in Nomocanone ſuo explicat Abulfaragius; in defectum ſcilicet Tabulæ, aut Antimenſii *ſumendum eſſe folium ex Evangelio in eorum vicem, & ſupra collocandum diſcum & calicem.* Nomine igitur *Sacri libri* Evangeliorum codicem veroſimiliter Theodorus Studita deſignavit. Conſtat porro ex Manuele Charitopulo, & Balſamone Αντιμίνσια *Antimenſia* eſſe ſegmenta panni vel mappæ, quæ ſacræ menſæ inſternitur in die Encæniorum Eccleſiæ, quæ precibus & ritu eccleſiaſtico conſecrata in varias partes diſcinduntur, & quæ altarium, ut Latini vocant, portatilium vicem præſtant, adeo ut in oratorio-in, aut aliarum ædium ſacrarum menſis non

N con-

conſecratis, abſque hujuſmodi Antimenſiis ſacras liturgias celebrare nefas ſit (*a*). Adverte poſtremo linteolis ſæpes uſos eſſe veteres ad corpus Chriſti involvendum; ut quam propius ad conſuetudinem accederent, myſticamque ſignificationem exprimerent, ſecundum quam Chriſti corpus ſuper linteo mundiſſimo, quod nos *Corporale* vocamus, alii etiam *Chriſmale* (*b*) appellarunt, collocatur. En præclara verba Iſidori Peluſiotæ (*c*): *Pura illa ſindon, quæ ſub divinorum donorum miniſterio expanſa eſt, Joſephi Arimathenſis ſacrum ſervitium eſt. Ut enim ille Domini corpus ſindone involutum ſepulturæ mandavit, per quod univerſum hominum genus reſurrectionem percepit, eodem modo nos Panem propoſitionis in ſindone ſanctificantes, Chriſti corpus ſine dubitatione reperimus,*

(*a*) Renaudot. Comment. ad Liturg. Coptic. S. Baſilii pag. 182.

(*b*) Glaber Rodulphus lib. 5. Hiſt. c. 5. ubi ſic *De Chriſmale quod à quibuſdam corporale appellatur*. Quod Chriſmale in Rhemenſi cod. apud Menardum in Sacrament. Gregorii pag. 199. *Corporis D. N. J. C. gerolum* appellatur, & in Miſſali Antiq. edito a Thomaſio. *Corporis Chriſti novum ſepulcrum*.

(*c*) Lib. 1. Epiſt. 123.

nus, illam nobis immmortalitatis in modum ontis proferens, quam ſalvator Jeſus, a Joſe- ho funere elatus; poſteaquam a morte ad vitam ediit, largitus eſt. Ad myſticam hanc ſignifica- ionem animum intendiſſe, qui aut in Chriſma- ibus, aut puris mundiſque linteolis panem Eu- hariſticum involverunt, longeque profecti ſunt, arbitramur.

In hoc chriſmali Euchariſtiam deferebat San- ctus Birinus quam ab Honorio Pontifice acce- erat, uti ejus vitæ ſcriptor enarrat his verbis: *Dederat ei Honorius Papa pallam, ſuper quam cor- us Chriſti conſecrabat, & in qua corpus Domini- um involutum, & ad collum ſuſpenſum ſemper ecum ferebat, atque inter ſacranda ſacro-ſancta yſteria ſuper ſanctum altare ponere conſuevit.* imili in receptaculo vel pergameno ſervabant uchariſtiam recenter ordinati epiſcopi & pres- yteri, qui pane Euchariſtico a Pontifice accepto uadraginta dierum ſpatio ſe communicare de- ebant; qua de re Martenius, Menardus, Mabil- onius (*a*) atque alii differunt; quemadmo- dum

(*a*) Præfat. in ſæcul. V. obſervat. XL. Alcui- nus *de div. off.* c. 7. Fulbertus Carnotenſis Ep. ad Einardum, Muratorius Tom. V. diſſ. Anti- quit.

dum & Virgines, quæ in die conſecrationis ſuæ hoſtiam ab epiſcopo acceptam octo in partes partiebantur, ut eadem totidem inde conſequentibus diebus veſcerentur.

quit. medii ævi diſſ. 66. pag. 573. Card. Thomaſius opuſcul. 6. Tom. VII. Opp. edit. 1754. pag. 59.

CA-

CAPUT XXIII.

Summus primorum Chriſtianorum amor, ac fiducia in Euchariſtiam fuit.

QUanto vero fervore ſenſuque pietatis primi illi Chriſtiani ſacris adſtarent, quove gaudio corporis & ſanguinis Chriſti myſteria ſuſciperent, conjicere facilius eſt, quam verbis explicare dicendo (*a*). Ob oculos ſibi conſtituerant, mundi redemptorem transfixione clavorum jam ſanguine vacuum, vitæque expertem in cruce expiraſſe. Hinc novi & æterni Teſtamenti ſanguinem in divino poculo uſurpantes recordabantur infiniti illius amoris & caritatis; & ut recordarentur mandanti per Hieremiam Chriſto reponebant ſinguli medullitus, intimoque ex pectore *memoria memor ero & tabeſcet in me anima mea.* Itaque non nauſeabundi faſtidiebant ſacram liturgiam, ſed non ſecus atque ad aram ipſam Calvariæ hærebant ſancto ſtupore defixi, recogitantes qualem

(*a*) Theophilus Rainaudus tract. ſæpius cit.

ſem Pater Optimus ſuſtinuiſſet a peccatoribus contradictionem, & cujuſmodi fuiſſent viſcera miſericordiæ Dei noſtri ſic diligentis mundum, ut filium ſuum Unigenitum dediſſet. Cum erant ſacro cibo reficiendi non genibus fixi, (*a*) non humi jacentes, ſed erecti, & in cœlum intuentes, preces concipiebant. Antequam autem aris admoverentur, vidiſſes mutuos inter ſe complexus, quo tanta gaudiorum oblectamenta ſecundum Apoſtolorum monita ſibi invicem impertirent; communi fere hominum conſuetudine, qua mortales videmus mutuo ſeſe complexu, & oſculis gaudia & voluptates ſuas, quas tacitis concepere animis, amicis occurrentibus communicare. Sacri & feſtivi dies potiſſimum a cæteris diſtinguebantur his gaudii & lætitiæ, quibus delibuti Chriſtiani geſtiebant, argumentis. Hi dies, quibus Euchariſtiam ſumſiſſent, vocabantur dies lætitiæ, dies remiſſionis, dies immunitatis, dies ſolemnes, dies denique feſtivi.

Quum

(*a*) Tertull. de Coron. Mil. cap. III. *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare: eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus*. Similia ſcribit Epiphanius in expoſit. Fidei, quæ ſtabiliverat Nicænum Concilium can. XX. nempe jejunia, genuumque flexiones cum diebus illis lætitiæ, quibus Euchariſtia præcipue ſumebatur, copulare veteres noluere.

Quum demum puris in illorum manibus Chriſti corpus vidiſſent, incredibili gaudio triumphabant; quod ſcilicet Jeſum Dei & Mariæ Filium aſpiciendi contrectandique ſibi poteſtas, ac copia foret. Mærorem omnem triſtitiamque, ſi qua tenebantur, procul abjiciebant, atque ad illius tamquam ad arcæ fœderis adſpectum, exultabant, voceſque gaudii indices continere non poterant. Egregiis fidei actibus conteſtabantur fidem ſuam & veritatem divinæ Euchariſtiæ clariſſime prædicabant. Suſceptis myſteriis in præclaros prorumpebant actus in laudem divinæ bonitatis, quod Deus ſe miſeros vileſque ſervos angelorum pane refeciſſet. Lætabantur tali convivio miſcuiſſe Chriſtum Corpus & Sanguinem ſuum corpori ſanguinique eorum. Fatebantur ſuam eorumdem linguam ſuſcepiſſe corpus & ſanguinem ejus; & eo labra peruncta, ſicut olim Iſraelitarum poſtes agni ſanguine. Affirmabant denique vidiſſe ſe Chriſtum in diſco & in calice, & ex illis accepiſſe corpus ipſum aſſumptum ex Maria Virgine, quod in præſepi poſitum, cruci affixum, lancea perfoſſum, in ſepulcro collocatum, reſurrexerat demum, ac in cœlum aſcenderat. His animis ſenſibus, ac votis, quæ Patrum veterum libri loquuntur, quum accederent ſacram ad menſam primi Chriſtiani fiebat illis Euchariſtia, quod recte ſumentibus

fieri dixit Auctor Sermonis de *Cœna Domini*, olim creditus Cyprianus; (*a*) *Panis iſte Angelorum omne delectamentum habens virtute mirifica, omnibus qui digne & devote ſumunt, ſecundum ſuum deſiderium ſapit; & amplius quam manna illud eremi implet, & ſatiat edentium appetitus, & omnia carnalium ſaporum irritamenta & omnium exſuperat dulcedinum voluptates. Vides quomodo his, qui Chriſti commemorant paſſionem intra ſacra officia, quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & ſuper omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur, quantam ſuavitatem animæ inquirenti ubi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procelloſæ tempeſtates deponunt, ros matutinus eſt de cœleſtibus ſtillans, & quaſi unctio ſpiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem retro & ante ſe affectio intuens, & inter data & condonata ſe dividens, gratias agit tam uberis beneficii largitori; & ſe ſanatam & ſanctificatam agnoſcens, fletibus ſe abluit, & lacrymis ſe baptizat*. Et ne quid ommittamus quod ad eorum in Euchariſtiam ſpem ac fiduciam

(*a*) Pag. CI. inter Opera Cypriani edit. cit.

ciam declarandam ſpectet, hactenus dictis placet addere veteres Chriſtianos Euchariſtiam manibus cum reciperent ſenſus corporis ejuſdem contactu ſanctificaſſe, & humida adhuc labia ex ſanguine ſuſcepto contingentes, eoſdem liniviſſe. Meminerunt hujuſce moris Cyrillus Hieroſolymitanus, Joannes Damaſcenus & alii, quorum teſtimonia altero in commentario protulimus, atque fidei, amoris, ac fiduciæ cauſſa in panem Euchariſticum id actitaſſe demonſtravimus. Hunc uſum ceu ſuperſtitioſum notavit Andreas Rivetus, Criticorum infeliciſſimus. Poſſent ſane & id præſtare legitime hodierni Chriſtiani, ſi communio ſub utraque ſpecie adhuc vigeret: quod autem id non faciant, nihil ipſis nocet, ut animadvertit ſcriptor haud ſuperſtitioſus Natalis Alexander (*a*). Non tamen exiſtimare debuit Rivetus, quod pretioſiſſimi ſanguinis guttas oculis & naribus admoverent, ſed quod libato calice labia, corporis & ſanguinis Chriſti contactu ſanctificata, reverenter admota manu contingerent, atque inde ad oculos & frontem & ſenſuum cætera organa pie applicarent, ut ſuo quodam modo conſecrarentur. Id autem quid-

(*a*) H. E. ſeculo IV. cap. 6. art. 2. §. 9.

quidni faciant Chriſtiani poſt Euchariſticam ſub unica ſpecie communionem? Id ſi præſtiterint ſuperſtitionis argui non poterunt. Sed dimiſſo Riveto cætera proſequamur, quæ primorum Chriſtianorum in panem Euchariſticum fiduciam clariſſime manifeſtant.

CA

CAPUT ULTIMUM.

Quod etiam iidem, conſuetudine deferendi Euchariſtiam collo ſuſpenſam, plurimum confirmarunt.

FIduciam amorem ac fidem, qua priſcos Chriſtianos erga Euchariſtiam adfectos fuiſſe diximus, plane confirmat altera conſuetudo, quæ perſecutionum certe temporibus invaluit, nimirum deferendi Euchariſtiam aut collo ſuſpenſam, aut in veſtibus ſancte collocatam, cum periculoſa itinera ſuſciperent, aut perſequentium furore urgerentur. De S. Hilaria ab ethnicis capta cum ad filiorum Martyrum ſepulcra preces funderet, hæc leguntur: *Dum traheretur rogabat eos qui ſe trahebant dicens: obſecro vos, permittite me prius orationem meam complere, & veniam quocunque volueritis. Igitur dum fixiſſet gradum, accepit Sacramentum Domini, & expandens manus ſuas dixit Domine Jeſu Chriſte, quem toto corde confiteor, modo me aſſocia filiis meis* &c. manibus nimirum vinctis Euchariſtiam collo appenſam, ut ſcribit etiam Claudius En-

ſpen-

ſpencæus (*a*) ſumere haud poterat, niſi brevi temporis mora ſolveretur. Hanc forte conſuetudinem firmare poſſunt Artophoria quædam fictilia, quorum unum ex Muſæo Paſſerio erutum primo vulgamus cum Paſſerii ipſius opinatione. *Quod vero nunc,* inquit in jam laudata ad nos Epiſtola, *primum profero nondum mihi adhuc alibi obſervatum, eſt Artophorium Encolpium, nempe lagenula fictilis ſchediaſmati* (*b*) *omnino par ipſaque rubricata, in qua puto Chriſtianos mari, terraque peregre profecturos corpus Chriſti e collo ſuſpenſum circumtuliſſe. Forma rotunda eſt, ut vides, ſed lenticularis & compreſſa, anſulis hinc & inde validis in extimo limbo inſtructa. Supremum orificium brevi margine firmatum eſt, qua minimus digitus vix inſeritur. In utraque facie amplam Crucem extantem objicit frequens Euchariſtiæ indicium adjectis hinc inde litteris* A & Ω *quæ ſuſpicionem noſtram confirmant. In hanc particulas ſacratiſſimi divini Corporis incluſas fuiſſe puto, nec enim ſuſpicio aliqua obrepit de Sanguine, nam propter periculum effuſionis nunquam extra Eccleſiam conceſſum fuiſſe intellexi. Putarit fortaſſe aliquis*

in

(*a*) Lib. 2. de adoratione Euchariſtiæ cap. 7.
(*b*) Tab. II.

in uſum aquæ benedictæ, ſive olei ſancti vaſculum id fuiſſe concinnatum. Eſto; nec enim ita perdubitanti repugnabo, mihi tamen hæc ſymbola Crucis aliud longe nobilius videntur indicare, cum præſertim ſciamus divinum Chriſti corpus a viatoribus conſueviſſe geſtari. Singulare id monumentum e cœmeteriis extractum una cum plurimis lucernulis Chriſtianorum, ſed vulgaris notæ ſervabatur Comacli in Muſæo nobilis & cultiſſimi viri Amatoris Thomaſii; ex cujus liberalitate ac conſtanti dum vixit in me benevolentia lagenulam hanc dono accepi; cujus memoriæ hoc grati animi monumentum apponendum curavi. Hucuſque Paſſerius, cujus memorem gratumque in amicos animum ac doctrinam quivis merito ſuſpiciet. Ut vero ejus dicta illuſtrentur, jam advertimus ſecum Euchariſtiam Chriſtianos tempore perſequutionum geſtaviſſe. Hanc fiduciam alii æmulati ſunt cum vitæ diſcrimina inſtarent. De Satyro fratre ſuo narrat magnus Ambroſius, eumdem adhuc catechumenum naufragium timeſcentem Euchariſtiam ab initiatis acceptam collo ſuſpendiſſe: *ſed ne vacuus* inquit (*a*) *myſterii exiret e vita, quos initiatos eſſe cognoverat, ab his divinum illud fide-*

(*a*) Orat. de exceſſu Satyri fratris ſui.

fidelium Sacramentum popoſcit, non ut curioſos oculos inferret arcanis, ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario (*a*) *&* *orarium involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare*. Alia exempla ſimilia invenies apud Joannem Diaconum (*b*) Gregorium Magnum (*c*) Marcum Gazenſem (*d*) Baronium (*e*) & Surium. (*f*) Erat ſane res ſummi gaudii, maximique auxilii

(*a*) Erant Oraria linteamina quædam parva ad munditiem corporis, uſus magni & multiplicis. De his Ferrarius, Svicerus, Lamius, Gerardus Voſſius, & præſertim Caſaubonus ſcripſerunt. Atque hic poſtremus orariorum uſum ab Aureliano invectum putavit in Aureliano Vopiſci, ſed rectius ante Aurelianum orariorum uſum ad favorem oſtendendum Scacchius opinatur lib. cit. Myrothecio III. cap. 54. pag. 1089. Sed de orario, parte ſacerdotalis indumenti, re ſacra ſcilicet, lege Georgium lib. 1. cap. 20. Liturg. Rom. Pont. Morinum de Sac. Ordinat. P. II. adnot. 6. in Græcor. Ordinat. pag. 174. & Bernardinum Ferrarium *de Ritu Sac. Eccleſ. Vet. Conc.* pag. 54. edit. Veronenſis 1731.

(*b*) Lib. 1. cap. 33. vitæ Gregorii Magni.

(*c*) Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 36. qui narrat Maximianum Syracuſanum Epiſcopum cum Monachis naufragio proximum, Corpus & Sanguinem Chriſti pace ſibi data ſuſcepiſſe. Quod idem invenias apud Paullum Diaconum loco cit.

(*d*) Vita S. Porphyrii cap. VIII.

(*e*) Ad an. 401. num. 36.

(*f*) Vita S. Birini die 3. Decemb.

lii fidelibus ſacra ſe poſſe Euchariſtia reficere quum vitæ diſcrimen ſibi imminere conſpexiſſent. Hanc ob neceſſitatem nuperis temporibus, ſæculo nimirum XVI. Euchariſtiam collo ſuſpenſam tetro in carcere deferebat Maria Stuarda Scotiæ Regina. Antequam enim impiiſſimis Conſiliariorum Eliſabeth Henrici Octavi Angliæ Regis filiæ notæ, ejuſdemque ſequacis apoſtaſiæ, ſuggeſtionibus anno ætatis ſuæ 46. & carceris 18. die 18. Febr. 1587. ſibi caput amputaretur, ultima vitæ ſuæ hora Euchariſtiæ Sacramentum ſumſit, quod pectori appenſum, aureoque vaſculo incluſum deferebat ita concedente Pontifice (*a*) qui recte tempora illa ceu veræ fidei Confeſſoribus infeſta reputabat; credebatque cum iis perſecutionum procellis comparanda, quibus Chriſtianis ad necem quæſitis Euchariſtiam propria manu ſumere, ſecumque deferre conceſſum erat. Sic alii qui pro fide Chriſti decertarunt, exemplo vetuſtorum Martyrum, ſe

---

(*a*) P. Suarez tom. 3. in 3. p. S. Thomæ diſp. 72. ſect. 3. Juvenin Diſſ. IV. q. 6. c. 1. de miniſtro Euchariſtiæ, & Paullus Alexander Maffejus lib. III. cap. 8. Vitæ S. Pii V. quo permittente inviciſſima femina & inſignis fortitudinis heros Euchariſtiam ſibi a fidelibus ſervis quibuſdam in capſulis, dum carcere detineretur, ſubminiſtratam, propriis manibus quotidie percipiebat.

ſe Euchariſtia armare conſueverunt . Habes inluſtre exemplum hujuſce moris ſanctæque conſuetudinis in geſtis martyrii B. Antonii de Ripulis Ordinis Prædicatorum , a Franciſco Caſtilionenſi deſcriptis, atque ab Cardinali Urſio illuſtratis . Hodierni etiam Maronitæ profecturi ad bellum, vel longa itinera ſuſcepturi, Euchariſtiam collo appenſam deferre ſolent , referente Gabriele Sionita (*a*). Idem præſtitiſſe legimus Patres Societatis tempore diſſidiorum Paulli V. cum Veneta Republica (*b*). Singuli enim cum ſingulis hoſtiis conſecratis colloque appenſis ex ejuſdem principe Urbe diſceſſere. Sed ut eo revertamur unde digreſſi ſumus, conſuetudini deferendi collo ſuſpenſam Euchariſtiam , alteram ſucceſſiſſe probabiliter opinamur, qua Chriſtiani in phylacteriis quibuſdam parvulis ſive arculis, thecis , aut capſulis Sanctorum Lipſana , & frequentiſſime Ligni Crucis particulas concluſerunt, ut ſe tutos redderent adverſus innumeras , quæ occurrunt, humanæ vitæ viciſſitudines, & hoſtium

(*a*) Epiſt. ad Nihuſium.
(*b*) Martenius de Antiq. Eccleſ. Rit. art. IV. lib. I. cap. V. num. 1. Sed de cauſſa qua vere permoti Jeſuitæ Paullo V. viſi ſunt parere, indeque abierunt, conſule Serrium in *Hiſtoria de Auxiliis divinæ Gratiæ* lib. IV. cap. XXII.

ſtium inviſibilium incurſiones. Ita hoc etiam modo Ethnicorum a Chriſtianis mos ſanctificatus fuit; nam illi metallicas quaſdam laminas, amuleta, & lapides magicis exornatos characteribus collo appenſos geſtaverunt, ut morbos & pericula evaderent, teſtibus Pignorio & Gothofredo.

Proxime ad conſuetudinem hactenus deſcriptam, qua priſcorum Chriſtianorum fides ac fiducia in Euchariſtiam præclare monſtratur, accedit altera Romanorum aliquot Pontificum, qui iter facturi ſibi Euchariſtiam præferri juſſerunt; uti Stephanus IV. Gregorius VII. Urbanus II. Gelaſius II. Alexander III. quemadmodum opinatur Angelus Rocca, olim Sacrarii Apoſtolici præfectus, qui ea de re commentarium ſcripſit (*a*). Mos ſane hic ex priſcorum conſuetudine Pontificum ortus videtur, qui propter metum paganorum ſæpiſſime urbe exire compulſi, Euchariſticum Sacramentum in munimentum vel ad pectus, vel collo ſuſpenſum in itinere faciundo occulte geſtare conſueverant. Philippus Mornæus (*b*) Benedictum XIII. ſeu Petrum

trum

(*a*) *De Sacroſancto Chriſti Corpore Romanis PP. iter conficientibus præferendo*. Extat tom. 1. ejuſdem opp. pag. 37. & ſeqq.

(*b*) In myſterio iniquitatis, ſeu Hiſtoria Papatus pag. 507. & ſeq.

trum *de Luna*, primum inſtituiſſe ut Sacramentum Corporis Chriſti, corpori ſuo tutando ante ſe geſtaretur, excogitavit, ut quem ſcilicet ille Pontifex nullum in cœlo credebat, contra adverſarios in terra vindicem habere videretur; quod erat profecto regum Perſarum exemplo haud dubie commentus. Sed diverſo plane moto factum illud eſt excipiendum, quam ore putido Mornæus dicat. Ritus ille longe antiquior eſt Bened.XIII.& licet hic pſeudo-pontifex, quemadmodum ſcribit Paullus Æmilius (*a*), ne a Francis, quibus ejus nomen erat inviſum, violaretur, ſacroſanctum Domini Corpus præferens in Cataloniam ad natales ſuos Tarraconenſeſque conceſſerit, non tamen id primus inſtituit, ut exemplis videre apud Roccam dicet. Quod vero Mornæus addit, eum Regum Perſarum exemplo hoc commentum eſſe; cur non magis, inquit Leonardus Coquæus (*b*), Davidis Regis ſanctiſſimi? de quo ſecundo Regum 15. legimus, quod cum fugeret a facie Abſalonis *venit Sadoc ſacerdos, & univerſi Levitæ cum eo portantes Arcam fœderis Dei*. Nam certe Arca fœde-

de-

(*a*) In Carolo V. lib. 10.
(*b*) In Anti-mornæo Tom. 2. pag. 244.

deris Dei viventis Euchariſtiæ ſacroſanctæ figura erat expreſſiſſima: quæ pro neceſſitate populi extra Tabernaculum locumque ſacrum educebatur, & quaſi proceſſione facta ad depellenda pericula contra hoſtes circumferebatur, quoties opus erat. An vero ideo Hebræi putabant nullum eſſe Deum in cœlo, qui eos ab hoſtibus tueretur? Inepta igitur & falſa Mornæi concluſio eſt, Benedictum nullum in cœlo Chriſti Corpus crediſſe, quia illius Sacramentum vindicem in terris habere videbatur. Nullus certe Catholicorum, qui credunt Chriſtum vere, realiter, & ſubſtantialiter præſentem eſſe in Eucariſtia, negat eum ſedere in cœlis ad dexteram Patris majeſtatis. Alia igitur caufſa fuit cur cæteri Pontifices idem præſtiterint, majeſtatis nimirum & moris cujuſdam antiqui cauſſa quo laicis & cæteris viris Eccleſiaſticis iter conficientibus (*a*) Euchariſtiam deferre conceſſum erat, ut in via tutorem, ac munimentum habe-

(*a*) In vita S. Laurentii Epiſcopi Dublinenſis cap. 6. apud Surium 14. Decemb. legitur ipſum cum quatuor Sacerdotibus in latrones incidiſſe, qui Euchariſtiam quam ſancti illi viri, *ſicut tunc moris erat*, ſecum gerebant, irreverenter tractarunt. De hodiernis Græcis eandem conſuetudinem retinentibus vide Arcudium lib. 3. Concord. c. 59.

berent, quo uti poſſent, ſi mori iiſdem contigiſſet. Nunc in ſolo Romano Pontifice, Chriſti Vicario hæc facultas remanſit. Hac etiam de cauſſa Euchariſtiam *Viatici* nomen ſortitam eſſe non contemnendis rationibus & momentis probari poſſet. (*a*) Cæterum Mornæum, alioſque eccleſiaſticorum rituum oſores, de horum varietate, & mutatione obſtrepentes quis patienter audiat aut ferat? *Quia novæ legis*, ajebat Petrus Aurelius (*b*) *& gratiæ, quam Chriſtus attulit, virtus tota intrinſecus latet in ſpiritu & veritate, neque in iis quæ videntur, ſed in iis quæ non videntur, conſiſtit, Chriſtus perpaucis admodum externis inſtitutis Eccleſiæ impoſitis, ob humanæ dumtaxat ſocietatis neceſſitatem, totus fuit in ſancienda æterna lege, & regno illo Dei, quod intra nos eſt; cætera ipſi Eccleſiæ pro temporum varietate ſtatuenda permiſit, relicto ei ſpiritu ſuo, quo in illorum moderatione regeretur. Eccleſia rurſus ut in externis ejuſmodi decretis Chriſtianam amplitudinem poſitam non eſſe oſtenderet, tantam eorum mutationem & varietatem, quantam in antiquioribus & recentioribus*

cano-

(*a*) Rocca P. I. cit. Comment. pag. 43.

(*b*) Anæretico 1. adverſus Antirrheticum 1. Sirmondi pag. 469. edit. Pariſ. 1646.

canonibus videre eſt, induxit. Quibus præclaris verbis Petri Aurelii, ſive Abbatis San-Cyrani commentario noſtro finem imponimus, ſatis jam deſcriptis, numeratiſque, uti arbitramur, locis, in quibus Chriſtiani ſynaxeon perſtudioſi ſe ſe ſub Ethnicis Imperatoribus extra ædes ſacras congregarunt. Nam ubi Conſtantinus Magnus & chriſtianus princeps ſumma rerum plene potitus eſt, quemadmodum templa & aræ ubique ſplendidæ extructæ ſunt, ita commode Chriſtiani ſuas in illis habuerunt ſynaxes, manifeſtioremque Euchariſtiæ cultum reddiderunt; devoto etiam pioque excitati animo Principis, qui Auguſtiſſimum Sacramentum ſingulari pietate proſequebatur. Scimus enim eumdem ad belli uſum præparari juſſiſſe (*a*) Tabernaculum, in quo ad Deum victoriæ omnis auctorem, una cum Epiſcopis preces effunderet, atque ut etiam in ſolitudine ædem hoc modo haberet, in qua & ipſe & exercitus ejus ſacris auguſtiſque (*b*) poſſent myſteriis intereſſe.

(*a*) Euſebius de Vita Conſtant. lib. 4. cap. 56.
(*b*) Sozomenus Hiſt. lib. 1. cap. 8.

FINIS.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Filippo Roſa Lanzi Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *De Chriſtianorum Synaxibus &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Girolamo Dorigoni* Stampator di Venezia che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.


Dat. li 24. Febraro 1769. M. V.

(*Angelo Contarini Pr. Rif.*
(*Andrea Tron Cav. Rif.*
(*Sebaſtian Foſcarini Cav. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 29. al Num. 218.


Davidde Marcheſini Seg.

A



Turricula Sacramentaria ex argilla rubricata Romę ex coemeteriis effossa. Nunc Pisauri in Museo Passerio

Cauitas Crateris Superioris in A.



B. Cicatrix Lucernulę divulsę



Icon l

coemete

SPECIAL 89-B
7208